Digitized by Google

ANTONII HULSII

Linguæ S. Profeſſoris,

AUTHENTIA ABSOLUTA S. TEXTUS HEBRÆI

Vindicata

Contra Criminationes Cl. Viri ISAACI VOSSII, *in libro recens edito de tranſlatione* LXX. *Interpretum.*

Adduntur Epiſtolæ binæ.

Una ad Cl. COLVIUM *de Paralleliſmis textualibus.*
Altera ad Cl. VOSSIUM *de periculo ſuæ ſententiæ.*



ROTERODAMI,
Ex Officinâ ARNOLDI LEERS.

CIↃIↃCLXII.

Digitized by Google

Admodum Reverendis,

Clariſſimis, Doctrina, & Pietate conſpicuis

VIRIS,

Eccleſiarum Gallo-Belgicarum totius Fœderati Belgii, eique *annexarum Provinciarum, Venerandæ* Synodo Gallo-Belgicæ *adſcriptis Paſtoribus Fideliſſimis.*

D. DANIELI MASSIS, *Eccleſiæ* olim *Rotterdamenſis*, Nunc Collegii Gallo-Belgici Regenti vigilantiſſimo.

D. JOHANNI BLONDEL, *Hagienſis.* Nunc emerito.

D. CAROLO EVERWYN, *Goudanæ.*

D. ANDREÆ COLVIO, *Dordracenæ.*

D. SAMUELI MARESIO, olim *Sylvæ-Ducenſis*, nunc *Groningenſis.* Ac S. Theologiæ Profeſſori celeberrimo.

D. JOHANNI-JACOBO DU BOIS, *Ultrajectinæ ad Rhenum.*

D. MATTHÆO JENEIN, *Fliſſingenſis.*

D. NICOLAO DE LA BASSECOUR, *Amſtelodamenſis:*

D. PETRO MARESCHAL, *Heuſdanæ.*

D. FRANCISCO CUPIF, *Leydenſis.*

D. JACOBO BISOU, *Ultrajectinæ ad Moſam.*

D. HENRICO BLANCHETESTE, *Amſtelodamenſis.*

D. JOHANNI LE LONG, *Medioburgenſis.*

D. JOHANNI-LUDOVICO GROUWELS, *Naerdenſis.*

D. VINCENTIO-JOACHIMO SOLER, *Delphenſis.* Nunc emerito.

Digitized by Google

D. JOHANNI CARRE', *Hagienſis.*
D. GILLESIO WARNIER, *Vltrajectina ad Moſam.*
D. GILLESIO GOFFART, *Dalenſis trans Moſam.*
D. HENRICO CHROVET, *Onenſis trans Moſam.*
D. DANIELI DE RANTRE, *Harlemenſis.*
D. CAROLO DE ROCHEFORT, *Rotterodamenſis.*
D. JOHANNI BEECK, *Leydenſis.*
D. CLAUDIO BENJAMIN CHARPENTIER, *Campenſis.*
D. SERVATIO GALLE', *Siricſeanæ.*
D. PAULO BILOT, *Groedenſis.*
D. HENRICO DES MARETS, *Sylvæ-Ducenſis.*
D. JOHANNI CHARDEVENE, *Saſſenſis.*
D. NICOLAO MASSIS, *Brielanæ.*
D. ISAACO GROMME', *Leydenſis.*
D. NICOLAO COLVIO, *Amſtelodamenſis.*
D. JOHANNI DE LANNOY, *Dordracenæ.*
D. DANIELI DES MARETS, *Medioburgenſis.*
D. JOSEPHO PITHOYS, *Leovardienſis-Friſicæ.*
D. FRANCISCO CHAILLOU, *apud Inſulares.*
D. JACOBO RENETTE, *Leydenſis.*
D. JOHANNI BRUN, *Neomagenſis.*
D. JOHANNI TRELCATIO, *Goeſanæ.*

Patribus ſuis, Fratribus ac Symmyſtis, Muneris & animorum conteſſeratione ſibi conjunctiſſimis.

Æternam à fonte ſalutis, Servatore noſtro Jeſu Chriſto, Gratiam & Pacem precatur.

ANTONIUS HULSIUS,
Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Bredanæ Paſtor.

EPI-

EPISTOLA
DEDICATORIA.

QVotquot unquam ſub nominis Chriſtiani larva perſonati hæretici, ſive veteres ſive recentiores, ſacram veritatem oppugnarunt, ejus vel *Doctrinam* ſunt aggreſſi, vel *Principium*, vel *Utrumque*. *Principium*, quod eſt S. SCRIPTURA, eorum inſultibus bifariam fuit obnoxium. Alii *rejiciendo*, alii *vexando & arrodendo* ei litem intentarunt. *Rejecerunt* olim, *rejiciuntque* (non integram Scripturam, quod ethnicum, nec totum Novum Teſtamentum, quod Judaicum erat) totum Vetus Teſtamentum velut malum *Manichæi*, velut abrogatum *Anabaptiſtæ*, Euangelium Johannis *Ebionitæ*, Matthæi *Marcionitæ*. *Vexant & arrodunt Sociniani* & *Pontificii*. Illi S. Scripturæ θεοπνευστίαν vellicantes. Hi 1. Eam obſcuritatis & imperfectionis inſimulantes. 2. Ejus authoritatem ab Eccleſia ſuſpendentes. 3. Interpretationem ſedi Pontificiæ & mediis externis adſtringentes. 4. Libros Apocryphos pro Canonicis obtrudentes. 5. Textuum originalium authentiam in verſionem tranſferentes. In hoc ultimo membro præſentis diſpu-

 tationis

tationis cardo verſatur, de quo paucis apud R R. V V. antequam inſtituti mei rationem exponerem, præfari fuit animus. Utpote quibus optimè notum, quam Eccleſiæ Chriſti ſit noxium, quam Chriſtiano nomine indignum, impium illud *Tridentinum* Decretum *Seſs.* 4. *Decr.* 2. *Inſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat: Statuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro* AUTHENTICA *habeatur, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Cujus equidem decreti quoſdam Pontificios puduiſſe omnino videtur, qui illud emollire ſatagunt. Inter quos *Vega, Driedo, Andradius*, imprimis *Genebrardus*, Linguæ S. Profeſſor Pariſienſis Regius. Cujus judicium de hoc Decreto, peculiari Epiſtola ad *Arium Montanum*, propria ipſius manu exaratum olim mihi exhibuit Cl. noſter *Colvius*, quod & integrum ad calcem annotationum mearum in Pſalterium Hebraicum expreſſi. *Concilium*, ait ille, *tantum comparat vulgatam editionem*

nem, cum cæteris ejuſdem generis propter recentiorum hæreticorum & aliorum novatorum temeritatem, qui novas verſiones ſubinde expetunt, veteres faſtidiunt. Inde effici nego, non eſſe recurrendum ad fontes, ſiquid minus perſpicuè, minus aptè, minus propriè illa fuerit expreſſum atque enunciatum. Quæ enim hæc conſequentia obſecro? Sancta Synodus non rejiciendam Latinam editionem ſtatuit, quin pro authentica habendam imperat: Ergo Hebraicæ & Græcæ veritatis collationem & uſum prohibet, exiſtimationem, authoritatem negligit, &c. Verùm is catenis aureis ſedi Pontificiæ alligatus, quod animo volvebat, ore profiteri non audebat. Concilii mentem apertius explicant *Stapletonus*, Melchior Canus & alii, qui diſertè aſſerunt, vulgatam, pro authentica ita agnoſcendam eſſe, ut ad *eam ſolam* in diſputationibus de fide & moribus, non autem ad Hebræos & Græcos fontes (qui idcirco fraudulentæ corruptionis inſimulantur) ſit provocandum.

Nil verò hic attinet inquirere an ex pura B. Hieronymi tranſlatione vulgata iſta ſit editio, quod prudentiores Papiſtæ aſſerere non audent. De Pſalterio ipſe *Bellarminus* fatetur, illud non eſſe tranſlationis Hieronymianæ ſed ex LXX. Interpp. deſumptum. Et ſane Hieronymus interpres

pres fuit accuratiſſimus, qui ſumma fide verba Latina ad Hebraicæ veritatis ſenſum uſque adeo religioſè expreſſit, ut fatente *Auguſtino* laborem ejus approbarint Judæi. Siquis verò collationem inſtituere voluerit inter vulgatam illam & Hebræum textum, immane quantum illam ab hoc diſcrepare animadvertet. Quin & multa in ea reperiet, quæ ipſe Hieronymus in ſuis ſcriptis reprehendit. Nec hiulcum illud dicendi genus ſtilum ſapit Hieronymi. Unde facile eſt colligere, eſſe genus mixtum ex variis Latinis, imprimis antiquiore Itala ex Græca τῶν LXX. ante Hieronymum transfuſa, ac ipſius Hieronymi verſionibus conflatum, variiſque modis tot ſeculorum exſcriptionibus ac exſcribentium incuria & negligentia corruptum. Conſtat verò etiam quare antiquam Latinam potius quam antiquiorem Græcam pro authentica obtruſerit Concilium. Nimirum quia Eccleſiæ Latinæ dignitas id requirere videbatur.

Id verò imprimis hic in quæſtione verſatur; *Quare textui originali ſubſtituerit verſionem?* Siquidem omnino videtur abſurdum, & ab omni humano agendi modo alienum, ut tranſlatio aliqua pro textu authentico habeatur, ubi ipſe originalis ad

ad manus eſt. Nec fucum cordato lectori faciant ſophiſmata, quæ huic abſurdo prætexi ſolent: Quod nempe à multis ſeculis Hieronymi verſio uſurpata fuerit in Eccleſia & à priſcis Patribus laudata. Quod peculiari Spiritus S. afflatu fuerit confecta. Quod non minus Eccleſiæ Latinæ de authentica editione Latina, quam Græcæ de Græca, Hebraicæ de Hebraica oporteat eſſe proſpectum. Prætextus, inquam, hi ſunt, quibus Tridentini illi Politici iniquitatis myſterium tegebant. Quippe qui non tam iſtius verſionis dignitatem, quam liberiorem Romani Pontificis in Dei verbum dictaturam meditabantur. Duplici autem artificio procedit hæc machina. 1. Siquidem συνῳδία comes perpetua eſſe debet τῆς αὐθεντίας in verâ Eccleſia, quæ non niſi Dei verbo regitur, adeoque nefas, aliquid ei pro oraculo commendari, quod non ſit, aut ſaltem ſtatuatur θεόπνευστον. Hinc clamor, verſionem vulgatam æque ac Græcam τῶν LXX. textumque originalem, eſſe factam ex afflatu prophetico. Sic ut tres iſti textus utpote θεόπνευστοι ſint authentici. Hebræus nim. olim in Eccleſia Hebraica, Græcus in Græca, Latinus in Latina. Quid poſtea? Quandoquidem tres illi textus in quamplurimis locis irreconciliabi-

liter ſibi invicem adverſantur, nec, ſi θεοπνευστίας ratio apud omnes ſit eadem, alter alteri cedit, (ſive ex ſcribarum malitia ſive oſcitantia corruptio & diverſitas orta ſit, jam perinde) nihil reliquum, quam ut quartus aliquis ſpiritus θεόπνευστος, nempe vivæ vocis & verbi Divini non ſcripti, quod ex ore Pontificis exit, oraculum rem totam decidat, ſitque ſupremus S. Scripturæ interpres & controverſiarum judex in Eccleſia. 2. Si verò hoc artificium non ſatis videatur commodum, aliud adinvenerunt Jeſuitæ, Pontificiæ authoritati ſupra Scripturam evehendæ convenientius, imo & aliquantò tutius. Non enim cum Eccleſiæ veteris fide & praxi conciliari poſſe videtur iſta verſionis θεοπνευστία, utpote quam ne ipſe quidem Hieronymus ejus author credidit. Conſultius ergo, non tam fortiter urgere parem verſionum cum textu originali dignitatem quoad afflatum propheticum. Ne quid vero exinde ab hoc iis immineat periculi, quaſi idcirco textus ſit præferendus, præcipua temporum injuria in hunc devolvenda, & flagitioſæ corruptionis potenter inſimulandus erat. Non, inquam corruptionis ex ſcribarum incuria, nam & huic fato verſiones deprehenduntur obnoxiæ, ſed corruptionis data

opera

opera à Judæis & hæreticis perpetratæ. Ut hâc ratione verſionum jugo ſubactus & ad authentiam quaſi ineptus, nullum in eas habeat imperium. Unde remanet, etſi olim textus originalis, qualis fuit ante tempora Hieronymi, utpote in ſummo gradu θεόπνευστος, omnibus ſuis verſionibus fuerit anteferendus, prout tamen nunc exſtat, corruptiſſimus nim. verſiones etſi minus θεόπνευστοι authentias palmam ei præripere. Neque hic periclitatur Eccleſia, quod textu non uſque adeo θεοπνεύστῳ utatur pro authentico, quod enim hac in parte deeſt textui, id ſupplet ſpiritus ille infallibilis Romani Pontificis, cujus authoritas evadit major quo Scripturæ eſt debilior. Ecce ingenium Jeſuiticum, à quo idcirco haud facilè quis extorqueat, ut definiat, quo θεοπνευστίας gradu interpretati ſint tranſlatores. An afflatu fallibili, an vero infallibili? Quod callidè in ambiguo relinquunt. Prius aſſerere vix audent, etſi velint, ne Eccleſiæ videatur eſſe impoſitum quod Tridentini Patres vulgatam authentias honore dignati fuerint. Poſterius nolunt in gratiam Pontificis. De LXX. Interpp. dicit *Bellarminus*, eos optimè tranſtuliſſe, & peculiariter Spiritum S. aſſiſtentem habuiſſe, ne qua in re errarent, ut non tam inter-

Digitized by Google

interpretes quam Prophetæ eſſe videantur. Quod tantum de ipſo autographo intellectum voluit, non de hodiernis ejus apographis, quæ ita vitiata & corrupta agnoſcit, ut omnino alia videantur ab antiquis. De vulgata verò dicere non veretur *Andradius*: *Non ſine admirabili quadam providentia nonnulla in iſtius interpretis lucubrationibus humanæ imbecillitatis exſtare veſtigia, quæ ſatis proderent, non omnia fuiſſe illius menti, tanquam Apoſtolis & Prophetis divinitus inſtillata.* Ita nim. ſtilum attemperant verſuti veteratores, ut, qui Scripturam Dei verbum eſſe negare non audent, hæſitantem lectorem in lubrico detineant, omneſque tam fontes quam verſionum rivulos ipſi ſuſpectos reddant. Qui tandem, quo ſe vertat, vel ubi Dei verbum quærat, neſciens, abdicata Scriptura ad Papæ infallibilitatem tanquam ad tutiſſimum præſidium confugere teneatur.

Longè Vobis, *Viri Reverendi*, iſta ſunt perſpectiora, quam ut neceſſe ſit prolixius apud vos oſtendere, quo in ſtatu ſit fundamentum illud à Prophetis & Apoſtolis poſitum, cui ſuperſtructi ſumus, ac, cujus lapis angularis eſt Chriſtus, ſi humanæ petulantiæ laxetur fibula, ſacrorumque fontium quos Spiritus S. derivavit in Eccleſiam,

divina

divina anthoritas devolvatur in opus humanum. Iſtius periculi ſeriò in calce hujus ſcripti moneo Cl. Virum D. *Iſaacum Voſſium* magni parentis Doctiſſimum filium, qui famæ nomini ſuo parandæ nimium intentus, antiquam illam Chronologiam ex LXX. verſione ab Euſebio contextam, à plerisque patribus, præcipuè Græcis, erroneam verſionem, quod ea in re ſalutis cardo non verteretur, ſimpliciter ſequentibus, receptam, ſed in Eccleſia Latina ſecundum Hebraicam veritatem & verſionem Hieronymi abrogatam, à Morino Pontificio in Hebræi textus præjudicium defenſam, orbi Chriſtiano recoquere geſtiens, non tantum publicis eam ſcriptis commendare, ſed & viros orthodoxos, eximieque doctos hac in parte ipſi *obluctantes*, imprimis Cl. *Hornium* Hiſtoriarum *Profeſſorem* celebrem ac puritatis in religionis negotio ſtudioſiſſimum acerbis dicteriis proſcindere non dubitavit. Nec eo contentus, ſiquidem S. textus Hebræi authoritas ipſi objiciebatur, etiam ipſam ſacram arcem ſuæ profeſſionis limites tranſiliens, ſuique moduli in literis Hebraicis oblitus, ſtupenda audacia expugnare eſt aggreſſus. Ad Jeſuitarum quippe caſtra deficiens Hebræum fontem in theſi adoriri, ac flagitioſæ corruptionis

 pecu-

peculiari tractatu inſimulare non eſt veritus. Atque ita ſimplicioribus ingeniis ſorbenda porrigitur hæreſis, ſed Chronologico fuco obducta, ſub ſpecie argumenti quod Theologicos fines non ingreditur. Duplicem verò ſummæ imprudentiæ (malitiæ hominem nondum accuſo) notam hic obſervare licet in Voſſio. Prima, quod ipſe partibus orthodoxis, quantum quidem mihi innotuit, addictus, Jeſuiticæ calliditatis ignarus, cauſam agat Pontificiam. Sive enim quis Hebræum textum per verſionem τῶν LXX. ſive per vulgatam Latinam oppugnet, res eodem recidit. Deceptus quippe fuit vulgari iſto imperitiorum ῥήματι: Parum referre, ſive Hebraicè, ſive Græcè, ſive Latinè verbum Dei ſcriptum habeamus, modo habeamus. Quantum vero id quoad authentiam referat, conſtat ex hypotheſi. Perinde id equidem foret, ſi pari θεοπνευστίας gradu tribus iſtis linguis Dei verbum eſſet conſcriptum, noſtriſque manibus, prout conſcriptum, tereretur. Hac ratione triplex textus divinam authoritatem præ ſe ferre, adeoque æqualiter nobis authenticus eſſe poſſet. Verum duo vidimus obſtacula. Alterum, quod verſiones ſint opus humanum, cui abſurdum Eccleſiæ fidem inniti, etiamſi cum textu originali per

omnia

omnia conciliari poſſent. Qua de re pluribus ago in ſecunda parte hujus ſcripti. Alterum, quod ἀντιστατικῶς in multis ſibi adverſentur. Vel ergo requiritur ut unus aliquis textus ſit authenticus, ad cujus normam exigantur reliqui, vel ſi tres ſimul ſub θεοπνευστίας prætextu in pari dignitate conſtituti, mutuo conflictu ſe invicem confodiant, decretoria aliqua poteſtas admittenda eſt in Eccleſia, quæ definiat, quid in ſingulis pro Dei verbo ſit agnoſcendum, quid non agnoſcendum. Hoc eſt quod venantur Romanæ curiæ ſatellites, quibus iſtâ ratione favet Voſſius, quod in rebus Chronologicis & locis à Judæis, data opera, ut contendit, corruptis, verſionem ſuſpici vult ut authenticam, etſi in reliquis authentiam penes textum originalem *ſtare permittat*. At quis nobis iſtam litem decidet? *Voſſius*-ne? hoc precarium, eſt enim homo privatus. An Patres? hæc eſt petitio principii, *iſtis* enim à verſione fuit impoſitum, nec fuerunt Prophetæ, ut dicere nobis poſſint, quid in contradictoriis pro Dei verbo ſit habendum, quid non. Reſtat ergo, ut vel ipſa Scriptura ex ſuis fontibus hoc definiat, vel ſi hi non prævalent ſuis rivulis, vir aliquis θεόπνευστος & ſummæ authoritatis in Eccleſia. Quis autem ille? Ecce Pontificem, qui

amat

amat *digito monſtrarier hic eſt*. Sed & alterum ſuæ imprudentiæ indicium hic prodit, quod nim. textum Hebræum pro authentico agnoſci velit, etſi à Judæis in prophetarum vaticiniis corruptum, quæ ſanè ſunt ἀσύστατα. Nullus enim textus fraudulenter ab hæreticis corruptus, præſertim in vaticiniis Chriſtum concernentibus, in quibus anima Scripturæ verſatur, poteſt eſſe authenticus in Eccleſia Chriſtiana. Imò eum in finem fraudulentæ corruptionis eum inſimulant Jeſuitæ, ut ad authentiam planè ineptum pronuncient. Sed de his ſuo loco.

Quid verò me impulerit, ut cum Voſſio, quem videre mihi nunquam contigit, adverſis frontibus concurrerem, ac libri ab ipſo evulgati, quam provinciam me exercitatioribus relinquere potueram, confutationem ſuſciperem, id in Epiſtola ad Vener. noſtrum ſymmyſtam D. *Colvium* pateſcit. Adeoque in hanc arenam pertractus, veritatis, quæ per meum latus petebatur, vadimonium ſine juſto convitio deſerere nec potui nec debui. Cæterum quibus adductus rationibus RR. VV. nomina huic operi præfigenda ſtatuerim, mihi exponendam. Patronos quærit meus adverſarius malæ ſuæ viros politicos & magnæ in republica authori-

thoritatis, non tantum hic ſed & alibi, quos in eoſdem quibus ipſe captus eſt, caſſes pellicere incautos annititur. Sed fruſtra ipſum fore ſpero. Nullus enim dubito, quin Illuſtriſſimi noſtri Ordines ſacram hanc veritatem à ſe hactenus potenter defenſam, in omnibus totius orbis Eccleſiis reformatis conſtanter & unanimiter creditam, in poſterum etiam contra quoſvis hominum fanaticorum inſultus ſint protecturi. Aliis ego patronis non indigeo, cauſæ quippe, quam ago, bonitate, ejuſque publica noſtra profeſſione ſufficienter me munitum exiſtimo. Nec eſt quod veſtrum, *Viri Rev.* in ejus ſubſidium implorem patrocinium. Utpote quæ non mea ſolius eſt, non Judæorum, uti ſæpius criminatur meus adverſarius, ſed veſtra, *imò totius Eccleſiæ*, quam voſmet ipſi, vel me tacente, publicè & privatim ſtrenuè aſſeritis. Proindeque eam velle commendare, propemodum nihil aliud foret, quam aliquam ἑτεροδοξίας notam inurere, præſertim tam venerando conſeſſui, ubi ſedes & ſtabilimentum veritatis. Quoniam verò *cauſa* & *agendi modus* plurimum differunt, non illi ſed huic quærendi mihi erant patroni. Ea enim ſeculi noſtri eſt intemperies, ut homines quæ ignorant, carpant, in cenſuras proni, ad emendandum

inepti. Imò quod pejus, ea nunc ſcribentium eſt infelicitas & laborum merces, ut diabolica invidia eorum etiam quorum cauſam tuentur, inſectationibus reddat obnoxios. Ad vos itaque *Viri Rev.* hæc mea qualiſcunque ſe convertit opella, ut favoris & benevolentiæ veſtræ umbone ſarta tecta liberum à malevolorum morſibus tranſitum inveniat. Eccleſiaſtico tribunali ſe ſiſtit, cujus officium eſt ut de argumentorum quibus S. Scripturæ vindicanda majeſtas, toris & nervis ferat judicium, præſertim in puncto tam arduo, & inter abſtruſiſſimos S. Theologiæ apices poſito. Nec privatos adire voluit, ſiquidem non privata hæc cauſa eſt ſed publica. Quod autem ſub veſtris potius quam aliorum prodire auſpiciis geſtiat, duo imprimis rationum momenta ſuaſerunt. Primum, quod arctiori neceſſitudinis vinculo vobis ſim unitus. Undevigeſimus enim nunc agitur annus, ex quo ab Eccleſia Gallo-Belgica *Bredana* ad S. miniſterium ritè vocatus, Synodique Gallo-Belgicæ membris adſcriptus, cum ſingulis conjunctiſſimè vixi & fraternè. Nam prout nemini veſtrum gravis unquam eſſe volui aut moleſtus, ſic & ſingulorum erga me candorem & benevolum affectum etiam ſupra meum meritum ſum expertus. Proindeque

ſacrum

ſacrum veſtrum conventum grato ſemper animo veneror atque ſuſpicio, penes quem ſolum in me meaq; omnia quoad rem ſacram, nec minus quoad hanc concertationem, tanquam in ſuum civem imperium eſſe profiteor. Alterum, quod laudatiſſimam conſuetudinem, à primis reformatoribus inſtitutam, at nunc proh dolor! ſupinæ ſecuritatis indicio in pleriſque claſſicalibus conventibus fermè exulantem, apud vos religioſè obſervari animadvertam, ut nemini myſteriorum ſalutis diſpenſationem committere velitis, quin in ſacrorum fontium cognitione verſatum exploraveritis. Supplici eam parænesi ante complures annos commendavit Eccleſiis Vir Cl. *Sixtinus Amama* Hebraicarum literarum in Academia Franekerana *Profeſſor optimè* meritus, quâ à Provinciali Synodo *Friſica* An. 1624. Harlingæ habita obtinuit decretum, ſequentibus annis in Synodis *Doccomenſi* & *Leovardienſi* Friſicis, *Woerdana* Suyd-Hollandia, *Harlemenſi* Nord-Hollandia, & *Ultrajectina* confirmatum. Eo ſingulis claſſibus injungitur, ut non tantum Theologica ac linguarum à candidatis qui examinandos ſe ſiſtunt, poſtulent teſtimonia, ſed & ſpecimen exigant ſuorum in textuum originalium lectione progreſſuum. Verum poſtquam

illud remiſſius agi cœptum, examinatoribus ſolis teſtimoniis aequieſcentibus, ac examinatis abſque iſto ſpecimine dimiſſis, nemine eorum ob linguarum imperitiam repulſam ferente, torpor iſte etiam Academias invaſit, ubi linguarum ſubſellia plerunque viſuntur auditoribus vacua, eo ignaviæ aſylo fretis, leviculo teſtimonio pro ſeſquidiei jejuno collegio, Profeſſoribus extorto, claſſi facili negotio poſſe ſatisfieri. Quaſi non propter Theologiam ſed propter claſſem duntaxat Alphabeti Hebraici cognitio ſit neceſſaria. Hinc ſenſim in antiquam labimur barbariem, ubi avidè nos exſpectat nugax Scholaſticorum turba, quibus, religionis puritate pedibus proculcata, authenticum Dei inſtrumentum eſt inviſum, quod univerſum Chriſtianæ fidei negotium à ſola humana authoritate vellent ſuſpenſum.

Sit ergo nobis iſte Voſſii conatus ſufficiens ſpecimen, quid exſpectandum, ſi pluribus id genus ingeniis in Eccleſiam irrumpentibus, retiariis deſtituti, non niſi mirmillonibus noſtris ac levis armaturæ militibus, qui indies in ſcenam protruduntur, rem conficiendam haberemus, qui rerum ignari ad primum impetum dare manus & ad minimum vel Grammaticum ſophiſma inulti coguntur

guntur obmuteſcere. In ſequiora tempora incidimus, quibus verſipellis veterator diabolus mutatis ſæpe perſonis ſuam inſtaurat fabulam. Modò ut lupus rapax ovile Chriſti vi aperta aggreditur, modò ſophiſtam agit ac Scholaſticis ſtrophis miro artificio contextis, antiquitatis ac veritatis ſpecie obvelatis imponit. Idcirco duo excubitorum genera ædis ſuæ faſtigio Chriſtus impoſuit. Alterum, qui hoſtis rabiem coërceant, ac vim vi repellant. Alterum qui ejus ſtrophas diſcutiant. Prius fidelis Magiſtratus officium eſt, qui dum ſuam tuetur Provinciam, Noſtrum eſt, *Viri Rev.* ſacram in Eccleſia alere militiam, ac ſummo ſtudio in id incumbere, ut de viris ſtrenuis ei aſſiduè ſit proſpectum, qui agoniſtica πανοπλίᾳ induti, *hæreſi exarmandæ*, technis detegendis, telis eliden*dis*, omnibuſque Dei fortis certaminibus decertandis poſſint eſſe idonei, quo ſubtilitate humana in ſuam perniciem ingenioſa ac infernalibus furiis in Chriſti peculium incurſantibus potenter revictis, Deo ſua conſtet gloria, ejus Verbo ſua majeſtas, veritati ſuum decus, Eccleſiæ ſua tranquillitas, ad æternam animarum ſalutem, *Amen.*

Nihil itaque nunc magis in votis habeo, *Viri Rev.* quam ut hoc meæ erga R R. V V. obſervan-

tiæ monumentum, prout animo in veſtri venerationem effuſo à me offertur, ita & animo in me meaque ſtudia benevolo à Vobis excipiatur. Sic calcar addetis currenti, & ſiquid in poſterum à tenuitate mea in Eccleſiæ commodum proficiſci poſſe judicabitis, ad id prompto obſequio, utut vires ſuperante, paratum agnoſcetis. Cætera, Deum ſeriò rogo, ut Vos omnes & ſingulos Eccleſiis Veſtris diutiſſimè conſervet incolumes, ſanctiſque veſtris, quas in domo Dei aſſiduè agitis, excubiis ita benedicat, ut tenebrarum operibus omnibus ſuperatis, ipſum tandem diabolum pacis & veritatis hoſtem ſub pedibus veſtris conteratis. Hoc animi & calami votum, in quo finio. Perſcriptum Bredæ, 16. Junii, cIↃ IↃ c LXII.

Digitized by Google

IN
Accuratas Celeberrimi D. Autoris
VINDICIAS
Δεκάστιχον.

COElum ſputa petunt, quæcunque eructat adulta
Impietas, quoties Sacra *laceſſit humi.*
Impia garrulitas haud fruſtra irritat inermis
Ultricem ferulam Vindicis intrepidi.
Venales redimat linguas, calamoſque loquaces
Subdola mercetur Beſtia coccinea:
Intima, quà potis eſt, decies decieſque recluſa
Milleni Artificis ſcrinia ſollicitet:
Ringat adulator, juret: tamen uſque manebit
Intemerata fides Codici *&* *integritas.*
HULSIUS *effrænem docuit compeſcere linguam*
Stentoream calamo *Vindiciiſque citis:*
Præcoci limbum ne forte feroculus auſit
Codicis *ulterius collutulare manu.*
Vah! quò luxuriat, quem gloria vexat inanis;
Naſutum quid non ſomniat ingenium?
Grande nefas apicem Gaji *tentaſſe minutum;*
Flagitium Tabulas *eſt violaſſe* ſacras.
Cui pietas cordi eſt, ratio cui ſarta ſalutis,
In Sacro *cave ſis* Codice *ſacrilegus.*

Honoris & amoris ergo ſcr.

S. ALTHUSIUS,
Eccleſ. Leidenſis.

Ad

Digitized by Google

Ad Clariſſimum Doctiſſimumque Virum,

D. D. ANTONIUM HULSIUM,

Eccl. Gallo-Belg. Bred. Paſt. fidel. & L. S. Profeſſ. eximium.

Vindicias Sacri Textus contra Voſſium *edentem, amicum mihi intimum ac ſincerum.*

TRanſcendunt divina fidem, ſenſuſque animoſque
  Nec capiunt celſi fata ſtupenda chori.
Illa mihi ante alias celebranda potentia cœli eſt,
  Qua datur ad ſuperas ire redire plagas.
Illa mihi *Domini Verbum* eſt, medianteque verbo
  Scandimus in patrias ſpeque fideque domos.
Hæc animi eſt ſors una mei, vis, anchora vitæ
  Hoc Dominus Verbo conſpiciendus adeſt.
Hæc Moſi ſecreta dedit, dedit illa Prophetis,
  Hæc aliis non ſunt credita ſacra Viris.
Fata ea ſacra manent, manet inviolabile Verbum:
  Non apicem mutet barbara poſteritas.
Non ita flagitium in ſacris committitur, abſit
  Hic dolus, hoc tantum deſipientis opus.
Non ea libertas populo eſt, non legibus ullis:
  Vatum ea nec Moſis ſic temeranda fides.
Vis ea procedat, jacet omnis gloria verbi,
  Nec ſunt principiis ſacra probata ſuis.
Suggerit hoc dudum ſævis conatibus Orcus,
  Nec ſpes aut pretium calliditatis abeſt.
Advolat huc multos inter turpiſſimus auſu
  Voſſius, & tetros ructat ab ore dolos;
Nec ſibi nec parcens ſacris, dubia omnia reddit,
  Indubiè ut multam deſtruat arte manum;
Et pereat divinus honos, concredita Moſi
  Majeſtas, verbi gloria, & alma Fides.

Ille

Digitized by Google

Ille viros alios, Moſi præponit & ipſa
Verſorum Moſis prætulit acta libris.
Sicque illi Moſeſque cadunt & Apocrypha tandem
Omnia ſunt, nulla condecoranda fide.
Viderat hoc paucos inter celeberrimus uſu
Hulſius: ut vidit, detegit arte dolos,
Et *Voſſi*, quid fingis, ait? quid laudis, arena
Hac metis, ac tantis obſtrepis inſidiis?
Non Domino tua ſceptra paras, nec fortibus auſis,
Hic Dæmoniaco flecteris imperio.
Hic ſacra Tænario (infandum) diſrumpis hiatu,
Hic os horrendi Dæmonis arte tua es.
Hic incerta paras tibi fundamenta ſalutis,
Hic aliis lapſæ cauſa ſalutis eris.
Quæ tibi tanta movent *Voſſi* deliria mentem,
Non Pater, aut priſci ſic voluere Patres.
Quis tibi nubivagas Alpes, quis Pelion altum
Suggerit, atque iſtis celſius ire viis?
Nonne tibi Icarii ſubeunt diſcrimina faſtus,
Et pueri ſubitus lapſus ab axe poli?
Nil tibi cum timeas, juvet id fortaſſe timere,
Ne ruat in tumidum celſior æthra caput.
Fama Poëtarum tantis gaviſa ruinis
Urget, & iratæ ſpicula mentis habet.
Hic Bavii redeunt ſpretique opprobria Mævi,
Hæc tibi pro mentis præmia digna refer.
Hæc dum verba noto, myſteriaque haurio mente.
Cogitur his metris Muſa tacere ſuis,
Et paucis finire melos, hæc ſola prefatur
Haud aliud quod vult altius intus alens.
Fauſta *Hulſi*, Tibi fauſta precor, cui ſidera & æther
Cui Pietas votis accinit ipſa ſuis,

Cui cœlum, cui terra favet. Horrenda reſurgunt
Tartara, Tu ſurgas fortius artis ope,
Et virus virtute doma. Conſpeximus artem
Et patulos nuper diſperiiſſe dolos.
Si Judæus ovet fruſtraque expectet Jeſum
Atque aliud Templi fulgidioris opus;
Tu templum veniſſe Deum ratione probaſti,
Tu templum hoc Dominum jure fuiſſe probas.
Subticuit Judæus, ovans temerarius, & vim
Ut ſenſit, ſenſu decidit ipſe ſuo,
Rabbinumque vocat, quem non ſic dixerit olim,
Cum nec Victorem noſceret ante ſuum,
Addam aliud dum forte juvat perſtringere nævos,
Et ſtupidos cæca relligione Viros.
Pontificis volo Jeſuitas, gentemque profanam,
Inſurgat rixis, ille vel ille ſuis,
Provocet in bellum Bredanam Antverpia gentem,
Ei nulli è nobis parcat iniqua Fides.
Inſultent inſani omnes, audacior illis
Hazartus tumido provocet ore Pater;
Et bellum velut ante canat, putet omnia ſcire
In cœlis Sanctos: mox putet eſſe Deos;
Proſcindis veſanum illum, cunctoſque ſequaces,
Et rides totam cum Patre Progeniem.
Non aliter tua mi *Voſſi* mala cauſa gerenda eſt
Præmiaque hæc tanti ſola laboris erunt.
Hoc pretium eſt quicunque Deo ſua ſubtrahit arma
Et ſua Dæmonibus ſpicula Sacra refert:
Vive meis *Hulſi* ſtudiis, ruat Hoſtis inermis
Et ſta *Vindiciis*, cum cadit ille, *Sacris*.

FRANCISCUS PLANTE,
Eccleſ. Bredanus.

Propter

Digitized by Google

Propter diſtantiam Authoris & preli

Errata quædam ſenſum corrumpentia ſubrepſerunt, quæ benevolus Lector, antequam ad lectionem ſe accingat, corrigere dignabitur.

Pag. 6. *lin.* 26. quia in parte, *lege*, qua in parte.
P. 8. l. 19. Adeoque tantum, *l.* Adeoque non tantum.
p. 11. l. 12. Decimoquarto, *l.* Decimotertio.
p. 15. l. 13. quia loca, *l.* quâ loca.
p. 17 l. 28. Atqui, *l.* at qui.
p. 30. l. 24. meræbantur, *l.* merebantur.
p. 31. l. 21. incorrupti, *l.* incorruptæ.
l. 22. citabuntur, *l* citabantur.
p. 33. l. 24. *qui*, l. *quid.*
p. 34. l. 14. *in perpetuam*, l *in perpetuum.*
p. 35. l. 3. primas, *l.* primos.
l. 5. anta vel tempora, *l.* ante vel poſt Hieronymi tempora.
p. 37. l. 10. ישב *l.* ישב.
p. 38. l. 16. quam verò, *l.* quam verè
l. 20. omitteretur, l. ſubſtituerentur.
l. 27. confectio, *l.* confectis.
p. 39. *l.* 7. ſupra, *l.* ſuper.
p 42. l. 17. aliquod, *l.* aliquid.
p. 49. l. 21 ipſius modò, *l.* ipſius tempus modò.
l. 28. bis mille, *l.* ſex mille.
p. 53. *l.* 1. generari, *l.* generare.
p. 57. *l.* 7. aliqui *dele.*
p. 58. *l.* 13. tanta, *l.* tanti.
l. 20. textu, *l.* textus.
p. 59. l. ult. derivatur, *l.* derivatur à.
p. 60. *l.* 12. ה *l.* ח.
p. 62. l. 12. à quo, *l.* à qua.
l. 13. Aquila, Pontico, *l.* Aquila Pontico.
p. 63. l. 16. interceſſerit, *l.* interceſſerint.
l. 19. inter, *l.* inſtar.
p. 64. l. 4 *His*, l. *Hic.*
l. 8. *in corruptas*, l. *incorruptas*,
l. 22. duos, *l.* duas.
l. 26. depredantur, *l.* deprehendantur.
p. 67. l. 1. eſſe, *l.* eſſet.
p. 25. l. 25. tranſfuſio, *l.* tranſfuſus.
p. 69. l. 6. *has trefaria*, l. *hac trifaria.*
l. 9. conſenſerunt, *l.* conſenſerint.
l. 11. legitimus, *l.* legitimis.
l. 27. *teſtis*, l. *teſtis.*
p. 71. l. 3. qui, *l.* quin.
l. 16. vigeſimam, *l.* vigeſima.
p. 74. l. 16. exacti, *l.* exactè.
p. 76. l. 8. ומנה *l.* ושנה.
p. 77. l. 7. eum, *l.* cum.
p. 80. l. 6. idem. *l.* ibidem.
p. 82. l. 4. &, *l.* ex.
p. 87. l. 4. interpretibus, *l.* interpretes.
p. 91. l. 8. בארי *l.* כארי.
p. 92. l. 24. כרך *l.* ברך.
p. 93. l. 8. ſint, *l.* ſunt.
p. 95. l. 10. difficultas, *l.* nulla difficultas.
p. 97. l. 11. tribuo, *l.* triduo.
l. 19. triduum, *l.* trium.
p. 98. l. 23. Pontificum, *l.* Pontificem
p. 99. l. 4. quas, *l.* quos.
p. 100. l. 19. quia, *l.* qua.
l. 26. hoc, *l.* hæc.
p. 102. l. 1. *verſione*, l. *verſioni.*
p. 103. l. 6. ut nimium, *l.* ut ubi nimium.
p. 104. l. 19. tetrapla, *l.* octapla.
p. 114. l. 27. hâc de, *l.* hac de re.
p. 115. l. 3. quod, *l.* quoad.
l. 29. &, *l.* ut.

Digitized by Google

p. 117. l. 27. divinitus, *l.* ut divinitus.
p. 118. l. 21. ſed, *l.* ſeu.
l. 22. quod, *l.* quoad.
l. 28. id, l. in.
p. 122. l. 30. agnoſceret, *l.* non agnoſcit.
p. 124. l. 6. hoc, *l.* . Hoc.
p. 128. l. 12. minus, *l.* magis.
p. 131. l. 15. annon, *l.* anno.
l. 24. interpretatores, *l.* interpolatores.
p. 133. l. 11. mererentur, *l.* mereretur.
p. 134. l. 1. & 2. ejus uſus eſt ad mortem, *dele.*
p. 136. l. 13. putavit, *l* putavit ab.
p. 143. l. 14. efficit, *l.* effici.
p. 144. l. 17. האן *l.* המן.
p. 145. l. 5. ſive interpretis, *dele.*
p. 147. l. 2. ſi ſenſu, *l.* ſi in ſenſu.
p. 148 l. 18. βδελυμάτα, *lege*, βδελύγματα.
p. 149 l. 1. vindeminarunt, *l.* vindemiarunt.
p. 150. l. 21. illi, *l.* illic.
p. 152. l. 20. prӕ, *l.* per.
p. 157. l 14. ut, *l.* ubi.
l. 27. quid, *l.* qui.
p. 163. l. 24. aliis, *l.* alii.
p. 164. l. ult. luculentius, *l.* lutulentius.
p. 166. l. 23. decimiquarti, *l.* decimitertii.

ANTO-

ANTONII HULSII VINDICIÆ S. TEXTUS HEBRÆI

Contra criminationes Iſaaci Voſſii.

Caput Primum.

Voſſii iniquitas in proponendo ſtatu controverſiæ.

BOni diſputatoris eſt ut ante omnia in ſtatum quæſtionis penetret. Id Voſſius nec accuratè agit nec ſincerè. Vago quippe & oratorio potius quam dialectico diſputandi genere utens, adverſæ partis ſententiam nec proponere nec explicare, ſed odioſiſſimis gravatam præjudiciis ex animo lectoris evellere, contumelioſis *floſculis* proterere, & veluti ab omni veritatis ſpecie alieniſſimam, à paucis duntaxat noſtri ſeculi homuncionibus (ſic theologos orthodoxos Hebræum textum ſequentes contemptim vocat) aſſertam proſcribere annititur. Nullius theologi verba citat, ſed perpetua ὑπερβολῇ, modò in textum ſacrum tanquam corruptiſſimum impotenter invehitur. Ei qui adhærent ſunt ipſi *caterva inſanientium, impudentes, deliri, fatui*, ῥαββινομανεῖς, *deficientes ad caſtra ſtultitiæ, præferentes paucos homunciones ipſis Apoſtolis & Euangeliſtis*. Modò in extollenda τῶν LXX verſione, tanquam ſcripto *ſancto*, θεοπνεύστῳ, *ſincero*, ἀναμαρτήτῳ luxuriat. Id qui negat, *multorum ſeculorum authoritatem explodit*,

Evan-

Evangeliſtis & Apoſtolis adverſatur, novam, inauditam, Chriſtianis indignam opinionem invehere conatur, τῶν LXX *verſionem habuiſſe exiſtimat autorem vel interpolatorem diabolum.* Pag. 26. *Malle* ait, *ſemidoctos prophetis abſurdos & veritati cantrarios ſenſus affingere, & Euangelica ac Apoſtolica ſcripta falſitatis arguere potius, quam fateri lapſos eſſe Judæorum librarios.* Quis iſta non riſu potius quam indignatione excipiat? Ejuſdem farinæ eſt inepta illa digreſſio in Præfatione ad Lectorem, ubi clamitat, *facilè vel ſola affirmatione Chriſtianos induci, ut credant nullum eſſe hujus ſeculi, quantumvis famelicum Rabbinum, qui non majorem linguæ Hebraicæ cognitionem habeat, quam omnes ſimul* LXX *interpretes. Se neſcire, utrum miretur ſimplicitatem eorum, qui tam miſere decipi ſe patiuntur, quam illorum calliditatem, qui merces ſuas tam carè diſtrahunt & incautis emptoribus ſomnia pro oraculis divendunt. Id eos eſſe aſſecutos, ut exploſis patribus & omnibus Chriſtianæ eccleſiæ doctoribus, tota fere theologia in Rabbinològiam ſit converſa. Nihil tam fatuum à Judæis excogitari & effutiri poſſe, quod Chriſtiani pronis non excipiant auribus. Nullam aliam poſſidere Judæos ſcientiam præter Grammaticam. Eos perſuaſiſſe Chriſtianis, Theologiam in ſola Grammaticæ Hebrææ cognitione conſiſtere, neminemque poſſe eſſe theologum, niſi qui idem quoque ſit Grammaticus Hebræus.* Hujuſcemodi flabellis, pulverem in lectoris oculos ſpargentibus, cæcutientem in veritatis odium abripere ſatagit. Quis unquam Chriſtianus theologus theologiam in Rabbinologiam convertit? Quis Judæorum ſomnia pro oraculis amplexus? Quis exploſis patribus & Chriſtianæ eccleſiæ Doctoribus, pronis auribus, quæ Judæi effutiunt, excipit? Faciliori negotio effutiuntur iſta quam probantur. Non tam liberè & leviter, mi Voſſi, de viris Doctis, qui tam inſignem in

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia orthodoxa navarunt operam, eſt judicandum. Nec quæſo te primum tam emunctæ naris exiſtimes, qui Judæorum ſcripta deliriis & ſomniis ſcatere animadverterit, alios verò ante te tam obeſos & fungos, ut illud deprehendere non potuerint. Si Rabbinorum libros intelligeres, fortaſſis in majori apud te iſti, quantumvis famelici nugatores forent pretio, quam apud eos qui in eorum lectione ſunt exercitati. Quem uſum Grammatica Hebræa habeat, ſi tu ignoras, norunt illi qui controverſias tractant theologicas. At perſuaſum eſſe in ſola ejus cognitione conſiſtere theologiam, id tibi tua perſuaſit φιλαυτία, ſiquidem id hactenus nemini, qui mentis compos eſſet, creditum. Falſam etiam in eadem præfatione conſequentiam affingis orthodoxis, dum ex loco Rom. 3. 2. eos aſſumere ais, *ſi Judæi ſunt Dei librarii, ergo ἀναμάρτητοι.* Quaſi verò inter Dei librarium & Dei amanuenſem nulla ſit differentia. Quæ ibidem de Judæorum corruptelis & ſex mille annorum cabbala dicuntur, eorum in argumentis habebitur ratio.

Magis ad rem facere videntur iſta cap. 10. *Quod itaque ſemper ad raucam uſque ravim Hebraicam veritatem & Hebræos clamant fontes, in eo nihil proficiunt. Non enim hoc in quæſtione eſt, utrum codex Hebræus ſit authenticus? & utrum fons ſit præferendus rivulis? Verum iſtud, an hodiernus Hebræus codex ſit anteponendus antiquo illi, quo uſi ſunt 70. Interpp. & Apoſtoli? Et an hodiernæ verſiones majori in pretio ſint habendæ, atque illa 70. Int. quam ſecuti ſunt Euangeliſtæ, Apoſtoli, & univerſa Eccleſia. Si verò oſtendi poſſit, 70. Int. & Apoſtolos multa S. Scripturæ loca aliter legiſſe & interpretatos eſſe, quam faciunt hodierni Judæi & eorum ſectatores, utique non dubitandum quin eorum lectiones & interpretationes præfe-*

A 2 *rendæ*

Digitized by Google

rendæ ſint lectionibus & interpretationibus hodiernis. R. Duplex ibi & valde diſcrepans eſt enunciatio. Prior eſt inepta, quis enim ſanæ mentis hodiernum Hebræum codicem anteponendum duxerit codici Hebræo antiquo, quo uſi ſunt 70. & Apoſtoli? Quis abſolutè loquendo verſiones hodiernas in majori pretio habuerit quam fuit olim 70. Interp. verſionis autographum? niſi quis dixerit ejus apographa eſſe incorrupta, & etiamnum iſtud autographum in iis quæ ſub cenſuram cadunt, exactè referre. Hoc enim ſi verum, noſtras verſiones ei longè præferimus. Poſterius propius accedit, ſed verum ſtatum necdum attingit. Minimè quippe dubitandum quin in hodiernis Hebræis codicibus pro mendoſis agnoſcenda ſint ea loca, quæ 70. & Apoſtoli in ſuis codicibus legerunt aliter, ſed oſtendendus eſt modus, quomodo nempe demonſtrandum ſit, eos legiſſe aliter, an ad id ſufficiant hodierna Græcæ verſionis apographa, longè corruptiora quam fuit unquam ullus textus Hebræus? Nec hic confundendi ſunt Apoſtoli cum 70. Fuerunt enim illi infallibiles, hi non item. Tum quæ N. T. diſcrepantia habet à Veteri, quorum valdè exiguus eſt numerus, iis, ſi rectè expendantur, facilè ſatisfiet. Adeoque in ſtatum controverſiæ penitius inquirendum, nec temere arripiendum, quicquid fortè hic vel ille rei ignarus in vulgus protruſerit, ſed ſcrutanda celebriorum virorum ſententia qui ex profeſſo ſcripſerunt de hoc argumento.

CAP. II.

Verus Quæſtionis ſtatus eruitur.

SIquidem cum homine Chriſtiano nobis res eſt, non reciprocanda cum ipſo ſerra ſuper diſputationis principio,

cipio, nempe VERBO DEI. Illud apud nos eſſe, & quidem in variis linguis ſcripto comprehenſum, ipſe mecum agnoſcit. Etiam utrinque in conſeſſo eſt, ejus linguam originalem eſſe *Hebræam*, quoad V.T. quæ ſola eſt θεόπνευστος. Vox autem iſta latius quandoque à patribus videtur ſumpta quam à Paulo 2. Tim. 3. 16. nempe non tantum pro dono prophetico ſed & communi. Θεοπνευστία κατ' ἐξοχὴν apud theologos ſummum divinorum donorum gradum dicit, ſolis prophetis conceſſum, quo Dei amanuenſes ea ſcribebant, quę aliunde non conſtabant quam ex ſolius Dei afflatu. Secundus gradus eſt θεοδίδαξις, quo quis ea ſcribit ac docet, quorum cognitionem, Deo labori & ſtudio benedicente, habet aliunde quam ab afflatu. Hic gradus duplex eſt, ſuperior & inferior. *Superior*, quando quis ſcribit & docet *infallibiliter*. Hic etiam Prophetis & Apoſtolis proprius fuit, adeò ut ſimul eſſent θεόπνευστοι & θεοδίδακτοι diverſo reſpectu. Sic Eſras exſcribendo legem Moſis & Prophetarum vaticinia, erat θεοδίδακτος infallibilis, ſiquid verò ex afflatu divino ſcriberet, erat θεόπνευστος. Johannes ſcribens Apocalypſin erat θεόπνευστος, ſcribens Euangelium, in pleriſque θεοδίδακτος, quatenus ea ſcripſit quæ oculis ſuis uſurpaverat. Utrumque donum tam θεοδιδάξεως quam θεοπνευστίας κατ' ἐξοχὴν, quatenus ſolis Prophetis conveniens, nos cum Paulo ſub θεοπνευστίας vocabulo comprehendimus. *Inferior* θεοδιδάξεως gradus eſt donum commune, quod alii majus habent, alii minus, ſed omnes errori obnoxii. Θεοπνευστία κατ' ἐξοχὴν LXX. *Int.* tribui nequit. Si enim fuerunt θεόπνευστοι, non fuerunt tranſlatores, hæc quippe ſunt ἀσύστατα, nec lingua Hebræa eſt originalis ſed Græca, niſi dicatur, vel aliud ſpecie verbum Deum inſpiraſſe τοῖς LXX, quam illud quod

 Hebrai-

Hebraicè inſpiravit antea, vel aliud numero. Si prius, differunt textus Hebraicus & Græcus ut oppoſita diſparata. Si poſterius, oportet LXX textum Hebræum nunquam vidiſſe, ſaltem non cognoviſſe. Utrumque eſt abſurdum. Summam idcircò laudem quam quis ſine contradictione iſtis viris tribuere poſſit eſt, quod in vertendo fuerint αὐτοδιδάκτως infallibiles. Hoc autem eſt quod negamus. Cum itaque quæritur, *in quanam lingua Dei verbum ſit authenticum?* Reſp. in lingua Hebræa, idque non tantum in iſtis codicibus quod manibus ſuis triverunt LXX. & Apoſtoli (quod concedit Voſſius) ſed & in noſtris hodiernis, ita ut & nunc ad textum Hebræum tanquam ad ſummum controverſiarum judicem ſit provocandum. Et quidem *abſolutè*, i. e. cum excluſione Verſionis τῶν LXX. tum quia non poſſunt eſſe plures textus authentici, uti ſuo loco conſtabit, ſiquidem tantum unicus eſt originalis, tum quia eſt ſcriptum humanum, non αὐτοδιδάκτως infallibiter, nedum θεόπνευστον. Quod ſi verò probari poſſit, eam fuiſſe factam à viris θεοπνεύστοις, eorumque autographum ad manus nobis eſſet, fateor me illud noſtris codicibus Hebræis prælaturum, non quâ autographum, ſic enim Hebræi codices ut ut apographa, adhuc prævalent, ſed qua ſcriptum divinum, cujus autographo cederent apographa Hebræa, utpote exſcriptorum errori obnoxia. Sed neutra conditio præſtari poteſt. Admittit quidem Voſſius, textum Hebræum eſſe authenticum, quia in parte recedit à Pontificiis, qui omnem authentiam in Verſionem Latinam vulgatam tranſtulerunt, ſed omnem movet lapidem, ut verſio LXX iſtius dignitatis poſſit fieri particeps, ſaltem in rebus Chronologicis, quod nos ei non concedimus. Totus ergo quæſtionis ſtatus, tum &

alii

Digitized by Google

alia quæ huc ſpectant, hiſce tredecim *aphoriſmis* comprehenduntur.

I. *Hebræus textus, qui manibus noſtris teritur, eſt originalis, ſive charactere Samaritano ſive Chaldaico primitus ſit conſcriptus, ſive ejus autographum habeamus ſive apographa, eaque ſive incorrupta, ſive alicubi mendoſa, eatenus perinde.*

II. *Codicem Eſræ viri* θεοπνεύστου *& infallibilis nullo laboraſſe mendo, apud omnes in confeſſo eſt.*

III. *Eundem codicem non Samaritano ſed Chaldaico charactere eſſe conſcriptum, nemo niſi Judaicæ hiſtoriæ ignarus negabit.*

IV. *Ejuſdem codicis & non alius eſſe apographa illa, quibus indies utimur.*

V. *Eundem codicem, ut & omnes antecedentes punctis vocalibus caruiſſe largimur. Nec inde quicquam detrimenti patitur Chriſtiana veritas.*

VI. *Ejus apographa exſcriptorum vitio potuiſſe depravari, imò & in variis locis aliquid mendi paſſa eſſe, ſtupendus ille maſoretarum labor qui ex diligenti eorum collatione textum reſtaurarunt, luculenter oſtendit.*

VII. *Apographum quo uſi ſunt* LXX. *Int. quatenus ab ætate autographi Eſræ minus remotum fuit, eatenus hodiernis fluxiſſe purius, docet ratio.*

VIII. *Judæos textum Hebræum data opera corrupiſſe, inſignis eſt calumnia, ſummam in cognitione maſoreticorum laborum arguens inſcitiam.*

IX. *Divina providentia cautum, quicquid unquam corruptionis in textum Hebræum irrepſerit, ne ſalutiferæ veritati quicquam decederet, adeo ut ſiquid dubitationis unum locum invaſerit, id perſpicuè diſcutiatur ex alio. Uti imprimis ex utriuſque teſtamenti collatione conſtare poteſt.*

X. *Apo-*

Digitized by Google

X. *Apographa Samaritana legis Moſaicæ noſtris Chaldaicis longe poſtponenda eſſe, cùm ex collatione, tum vel exinde apparet, quod à mendis non ſint repurgata & ratione temporis à ſuo autographo Moſaico longè ſint remotiora, quam noſtra ab autographo Eſreano. Purius fluunt rivuli ex fonte propinquo quam remoto.*

XI. *Verſionem primam Græcam à viris* θεοπνεύστοις *eſſe factam, tantum abeſt ut probari poſſit, ut contrarium ex variis rationibus & indiciis apertè pateat. Adeoque opus humanum, errori obnoxium, non divinum fuit.*

XII. *Eandem verſionem in ſuis apographis non minus quam textum, ſcribarum vitio evaſiſſe mendoſam, imò ob majorem eorum copiam, verſionum Græcarum varietatem & mixturam, textus originalis apud pleroſque veterum inſcitiam, eruditorum qui eam recognoſcerent paucitatem, operum inde productorum jacturam, eccleſiæ Chriſtianæ innumeris hæreſibus infeſtatæ amplitudinem, in menda longè procliviorem, quam fons Hebræus, curioſiſſimæ gentis Judaicæ ſæpe circumvallatus, ex collatione abunde conſtat. Adeoque non tantum pro ſcripto humano habendam, ſed & noſtrorum ſeculorum verſionibus longe poſtponendam eſſe concludimus. Tantum abeſt ut ei aliquam in eccleſia authentiam, concedamus.*

XIII. *Poſſe tamen poſt maſoretarum meſſem in textu Hebræo aliquod ſpicilegium adhibitis verſionibus inſtitui, modò id legitimò modo fiat (qui in argumento primo explicatur) non eo inficias.*

CAP. III.

Argumentorum diſtributio, & ſingulorum pondus.

EX ſtatu quæſtionis apparet, duas eſſe hujus diſputationis partes. *Prima* agit de textu Hebræo. *Altera* de Ver-

Verſione Græca. Utrobique pugnatur argumentis proſagogicis & apagogicis. *Proſagogica*, quibus probatur authentia textus Hebræi, ducuntur. I. Ab ejus *antiquitate*. II. θεοπνευστία. III. *Praxi Eccleſiaſtica*. *Apagogica* quibus pro parte negativa pugnatur, ſumuntur. I. A textus *mutilatione*. II. A *corruptione*. *Proſagogica*, quibus probatur authentia Verſionis Græcæ, ducuntur. I. Ab ejus θεοπνευστία. II. *Praxi Eccleſiaſtica*. *Apagogica* quibus negativa defenditur, ſunt petita. I. *A conditione tranſlationis*. II. *A corruptelis*. Omnia iſta ſigillatim nobis ſunt excutienda. Qui tamen rem penitius introſpexerit, facile animadvertet, totam ferme diſputationis molem incidere in ſecundum apagogicum à parte textus Hebræi, & in primum proſagogicum à parte Verſionis. Quibus debito modo ventilatis, de reliquis facile erit negotium. Hoc enim utrinque in confeſſo eſt, textum Hebræum in ſuis autographis eſſe originalem & θεόπνευστον, quam prærogativam verſioni nec in autographis nedum in apographis ullatenus largimur. Adeoque conceſſis textum Hebręum *eſſe antiquiſſimum*, θεόπνευστον, Eccleſiæ praxi confirmatum, *ſi tamen* fraudulenter à Judæis ſit corruptus, cadit ipſius authentia. Hæc enim ſunt ἀσύστατα, eſſe authenticum in eccleſia Chriſtiana, & eſſe per corruptiones accommodatum religioni hodiernæ Judaicæ, Chriſtianæ fidei hoſti infenſiſſimæ. Hoc autem ſi falſum ſit, non perit ilicò ejus authentia, etiamſi alicubi forte per errorem male exſcriptus, niſi probetur dari textum alium, qui nullatenus in exſcribendo ſit corruptus, gaudeatque eadem qua textus Hebræus prærogativa, quod nempe fuerit θεόπνευστος. Viciſſim, etſi corruptionis arguatur verſio Græca (modò illa non ſit fraudulenta) non tamen ilicò

tolleretur ipſius authentia, ſi ſarta eſſe poſſit ejus θεοπνευστία qua ſublata, periit etiam authentia, ut ut ſemper incorruptè exſcripta, ſicuti ſuo loco conſtabit apertius. Hac ergo methodo in diſputando progrediemur. Nec miretur Voſſius quod ipſius ordinem non ſequamur, eſt enim ἀμέθοδος, quatenus ſuæ Chronologiæ intentus, eam defendere nequit, niſi in theſi textum ſacrum labefactet, cauſamque verſionis agat, quod ὡς ἐν παρόδῳ præſtare ſatagit, dum neglecto quæſtionis ſtatu, in medium profert quæ in hac materia vel ſcripſerunt alii, vel ipſe de ſuo excogitavit. Neceſſe ergo eſt ut accuratiori agendi modo iſta tractentur. Ac prout ſtatum quæſtionis jam rectè conſtituimus, ſic ordine exequemur argumenta, nec prætermittemus ſiquid in ratiociniis Voſſii ponderis ineſſe videbitur.

CAP. IV.

Argumentum primum proſagogicum pro authentia textus Hebræi.

PRimum petitur ab ejus *Antiquitate. Qui textus in religione omnibus aliis eſt antiquior, is eſt authenticus. At textus Hebraus eſt antiquior.* Minorem nemo negare auſit. Major etiam eſt manifeſta. Si enim omnium eſt antiquiſſimus, eſt ἀρχέτυπος & originalis. Nec regerendum hic, conſequentiam iſtam valuiſſe uſque ad tempora LXX. Interpp. poſtmodum verò textum illum à Judæis data opera fuiſſe corruptum, nam 1. falſum eſt, fuiſſe data opera corruptum, ut ſuo loco demonſtrabitur. 2. unde corruptionis convincetur? an inde quia verſio Græca aliter habet? Hoc verò non ſufficit, niſi prius probatum ſit, eam eſſe ſcriptum θεόπνευστον, ejuſque apographa incorruptè

ad:

ad noſtras manus perveniſſe. Sed utrumque falſum oſtendemus in progreſſu. Ex hoc principio eduxi ego invictum iſtud argumentum, quod Voſſio hiſce terminis oppoſui:

Nullus textus originalis ex verſione ſua eſt corrigendus, niſi in ſingulis periodis corrigendis manifeſte erroris per ſola interna media (locorum paralleliam, allelcuchiam & ſimilia) fuerit convictus. Atqui textus originalis Hebræus in calculo antediluviano hoc modo erroris convinci nequit. Ergo nec ex ulla verſione eſt corrigendus.

Exponitur hic, quis ſit iſte legitimus modus de quo in aphoriſmo decimo ~~quarto~~ tertio. Major propoſitio continet principium ſcientificum: *Nullus textus originalis poteſt corrigi niſi ex ſeipſo.* Quaſcunque ergo Voſſius crepat Verſiones & authoritates, habeo ego textum originalem, quamdiu is ſibipiſi non contradicit, contradico ego omnibus qui ipſi contradicunt. Ipſe enim eſt antiquior omnibus, adeoque fide dignior, cui parem authentiam ne quidem ipſum haberet τῶν LXX. autographum, nedum *ejus apographa,* niſi probatum ſit, uti dictum, fuiſſe verſionem infallibilem. Sic enim apographa haberent parem, imò majorem ſi inſuper probatum ſit, textum Hebræum eſſe data opera corruptum. Minor falſitatis ex Scriptura coargui nequit.

Ut autem hoc pateat explicatius, diſpiciendum, quid viri eruditi hactenus ſuper hoc argumento ſenſerint. In duo extrema video hic itum. Exſtitere zelotæ, quibus de maſoretarum labore parum fortaſſis innotuit, vel ſaltem nomine tenus duntaxat inaudivere, qui Hebræum codicem uſque adeo purum ad noſtras manus perveniſſe exiſtimarunt, ut ſi quid ſcribarum incuria erroris illapſum,

 tam

tam nitidè à maſoretis fuiſſe exterſum, ut ne vel in minimo apiculo ab eo recedendum judicent. Huic ego ſententiæ nollem ſubſcribere. Maſorethæ non erant Prophetæ ſed homines errori obnoxii, qui etſi candidè & accuratè labore ſuo fuerint defuncti, potuit tamen aliquod ſphalma ipſorum oculos ſubterfugere, vel pravum Keri meliori Cetibh ab ipſis ſubſtitui. Potuit etiam progreſſu temporis pravum illud Keri expuncto Cetibh poſteriobus maſorethis non advertentibus in ipſum textum irrepere, qua de re poſtea clarius. Adeoque ſpicilegium aliquod mendorum ut in aphoriſmo meo dixi, poſſe ſupereſſe, omninò crediderim. Prout autem iidem in commendando textu, ſic in deprimenda verſione forte videntur nimii, eam vel LXX. Interpret. falſò adſcribi clamitantes, vel cum hæreticorum verſionibus confuſam, dataque opera uſque adeò interpolatam & corruptam ut nullus ejus uſus poſſit aut debeat eſſe in eccleſia: Neque hic aſſentior. Juſtum equidem eſt ut humilietur Hagar ſub Sara, ut tamen domo ejiciatur, durum imò iniquum cenſeo. Cum enim Sara eſſet ſterilis, priſcis patribus linguæ S. inſcitia laborantibus, peperit illa ſuo domino, plurimumque profuit Eccleſiæ. Non ergo rugoſæ frontis deformitas tam deſpicata nobis eſſe debet ut pedibus eam conculcemus. In altero extremo peccant qui textum Hebræum à Judæis data opera corruptum, ac ubi à verſione diſcrepat, ex ea reſtituendum parum peritè judicant, quod aliud non eſt, quam verſionem facere authenticam, ex ancilla dominam, ex domina ancillam. Peritiores ergo inter hæc extrema mediam viam quærentes, Textum nec data opera à Judæis corruptum, nec decere cenſent authentias prærogativa eum privari, ſiquidem

dem originalis eſt & θεόπνευστος, verſio autem non niſi ſcriptum humanum. Ex nævis tamen qui ex librariorum oſcitantia in eum irrepſerunt, utut maſoretæ ad ejus conſervationem multum contribuerint, hoc ſequi contendunt, ut ſi verſio à textu diſcrepet, poſſitque ex ſcriptis patrum & teſtimoniis exoticis confirmari, ejus lectio præferatur lectioni textus, adeo ut ilicò ad variam lectionem concludendum ſit, nempe olim aliter in Hebræo lectum fuiſſe, quia verſio habet aliter. Hanc ego conciliandi rationem, etſi in eam inclinare videantur magni illi viri Cappellus & Waltonus, probare nunquam poſſum. Non ideo, quia hoc eſt ſapere poſt maſoretas, nam ab iis humani nihil alienum puto. Sed 1. Quia ſic anſa debacchandi in textum Hebræum conceditur Pontificiis, qui iſto etiam nomine haud parum ſibi gratulantur de Critica Cappelli, adeo ut typis etiam regiis eam Pariſiis excudi procuraverint. 2. Aperitur janua multis naſutulis, in textum ſacrum liberius graſſandi, novoſque ſe maſoretas profitendi. 3. Quod una manu datur, altera demitur. *Sic enim non* ſolus textus ſed & verſio erit authentica, & in pari gradu conſtituuntur. Quod enim additur, verſionem non poſſe vincere niſi antiquorum teſtimoniis confirmata fuerit, nihil eſt, quod enim antiqui dicunt, id habent ex verſione. Adeoque hoc nihil aliud eſt, quam perhibere teſtimonium de ſe ipſo. 4. Imò ſic brevi tempore authentia textus abrogata, in ipſius locum ſuccedet translatio. Sub prętextu enim quod Judæorum labores & ſcripta plæraque ſint inepta fabuloſa, ſuſpecta, econtra venerandi Doctores eccleſiæ qui exemplo etiam Apoſtolorum, tranſlatione ſemper uſi ſint, nulla fermè diſcrepantia erit, in qua, repudiata maſoretarum induſtria,

tranſlatio non erit victrix. Si quid ergo mea valere hic poſſit ſententia, hanc conciliandi rationem propoſui, ut juſta verſionis habeatur ratio, neque nimium urgeantur quæ ei poſſint opponi, quorum in aphoriſmis facta mentio. Agnoſcatur ab una parte fatum textus Hebræi quod exſcriptorum incuria menda irrepſerint, & ab altera parte eximius ille uſus quem verſio habuit in eccleſia. Sit omnimoda inter utrumque & quoad commoda & quoad incommoda paritas (quam tamen concedere non tenemur, quia fatum verſionis ſemper fuit deterius) excepto duntaxat eo quod tranſlatio ſit opus ex textu fluens & labor humanus, textus autem originalis & θεόπνευστος, quæ ſola conſideratio ad perpetuam ejus authentiam ſufficit. Siquidem ergo nec proportio datur nec competentia inter opus divinum & humanum ad exemplar divini effigiatum, utut mille ejuſdem generis teſtimoniis comprobatum, ſi quid diſcrepantiæ inter utrumque obſervetur, primùm diſpicio annon verbis potius quàm ſenſu diſcrepent, nam liberiori interpretandi genere uſos fuiſſe interpretes, fatentur verſionis patroni. Si hoc ſit, nihil difficultatis erit, tantum abeſt ut aut verſionem corruptionis accuſare, aut variam Lectionem in textu mihi fingere velim. Illuſtre ejus rei documentum poſtea dabimus in loco Amos 5. 26. Quod ſi verò diſcrepantiam in contrarietatem vergere videam, nec verſioni ſtatim aurem præbeo, nec teſtimoniis patrum, nedum ſcriptoribus exoticis quibus majorem habere fidem quam verbo Dei, homine Chriſtiano indignum. Illa enim ab hominibus facta potuit à ſenſu aberrare, potuit & ab exſcriptoribus corrumpi, iſti verſionem ſunt ſecuti, adeoque non majoris ponderis eorum allegationes quam ipſa verſio, hi plerumque

Digitized by Google

rumque ſunt mendaces & ſuæ gentis benevolentiam captantes, omnes ſaltem homines errori obnoxii. Nec etiam rigidè lectorem adſtringo textui, utpote qui, uti dictum, alicubi poſſit eſſe mendoſus, nec maſoretarum induſtria ſatis expurgatus. Quid ergo? Principiis utor internis, certò perſuaſus, prout Deus verbi ſui interpretationem permiſit etiam privatis, modò ſenſum in illud non inferant ſed in eo inveniant, ſic Spiritum Sanctum, qui internum divinæ veritatis perhibet teſtimonium, id mentis ſanctificatæ induſtriæ largiturum, ut per interna principia detegere poſſit, ſi quid erroris librariorum oſcitantia illapſi, à maſoretis non obſervati, remanſerit. Iſta autem principia ſunt quatuor. 1. *Parallelia*, quâ loca diſſita tam Novi quam V. T. confero, & ſi plura eundem numero ſenſum mihi reddere, unum verò ita ab iis diſcrepare animadvertam, ut ſenſum efficiat non reconciliabilem, eum in mendo cubare omnino judico, etiamſi verſiones & teſtimonia eundem errorem errantia contrarium ſuadeant. Iis verò aſſentientibns, in ſententia mea confirmor, ſicut Scripturæ authoritas confirmatur teſtimonio eccleſiæ, etiamſi eam ab eccleſia non habeat. Hâc methodo utendum ſtatuo infrà ubi de Cainane. 2. *Allelouchia*, quâ locum aliquem confero cum ſemetipſo, & cum iis quæ in eodem contextu præcedunt & ſequuntur. Hic ſi nulla appareat incongruitas, acquieſco. 3. *Analogia fidei.* Quicquid enim ex S. Scriptura, ut ad ſalutem ſcitu neceſſarium, vel αὐτολεξεὶ vel per infallibilem conſequentiam eruitur, ei non convenit quicquam in eadem reperiri adverſum. 4. *Analogia Grammatica*. Si quid nempe ab Hebræi idiomatis ſignificatione regulis & exceptionibus conſuetis recedat, ſenſumque minus com-

modum.

Digitized by Google

modum efficiat, id etiam mihi ſit ſuſpectum. Hiſce quatuor modis, ſi Scriptura mihi ſatisfaciat, ab ejus originali textu non recedo, & verſiones cum ea pugnantes, ſive ab ipſis interpretibus, ſive ab exſcriptoribus, ſive data opera ſive ex errore corruptæ ſint aut interpolatæ ſive teſtimoniis confirmatæ, ſive non confirmatæ, omnes pariter rejicio. Sin minus ſatisfaciat, verſiones veneror & ſuſpicio, non quatenus textui adverſantur, (quaſi aliquid authentici iis adſcribere velim,) ſed quia mihi confirmant opinionem de mendo, quod ipſe textus originalis à ſuis ſcribis ſibi illatum per interna principia mihi revelavit. Hoc erat illud quod Voſſio antehac per literas oppoſui, ſed quam ineptè reſpondeat, ſiquidem argumenti vim non capiebat, in Epiſtola ad Rev. *Colvium*, quam calci hujus operis adjicimus, videbitur.

CAP. V.

Argumentum ſecundum proſagogicum pro textu.

T*Extus αὐθέντης eſt authenticus. Hebræus textus eſt αὐθέντης. Ergo eſt authenticus.* Hoc argumentum à præcedenti eſt diverſum, nam aliud eſt originale, aliud αὐθέντην. Ad authentiam non ſufficit ut textus aliquis ſit primus & originalis, nam & Alcoranus in ſua lingua éſt originalis. Sed qui veræ religionis fundamentum eſt, debet eſſe αὐθέντης. Talis autem eſt textus Hebræus. Major à nemine in dubium vocatur. Minorem nemo Chriſtianus negat ſimpliciter. Sed diſtinguunt Pontificii inter textum purum & non purum. Textum purum qualem habuerunt Prophetæ & Apoſtoli agnoſcunt αὐθέντην, hodiernum verò à Judæis corruptum, punctis vocalibus inſtru-

Digitized by Google

inſtructum, pro tali non agnoſcunt, niſi in quantum cum verſionibus convenit. R. I. De fraudulenta corruptione, quam diſertè negamus, poſtea nobis erit ſermo. II. De erroribus ex oſcitantia negatur ſequi: Irrepſerunt ſphalmata, ergo non eſt textus θεόπνευστος. Nam & ſphalmata irrepſiſſe concedunt omnes in verſionem Græcam, cujus tamen θεοπνευστίαν ex iſto principio non negamus, ſimodò aliunde demonſtrari poſſet. III. Nec ob hujuſcemodi errores textum verſionibus ſubjectum eſſe volumus, ſiquidem facile ex principiis internis cognoſcuntur. IV. Puncta quod attinet, dupliciter illa conſiderantur, vel tanquam vocales, vel ut vocalium figuræ. Priori modo ſumpta æque ſunt θεόπνευσται ac ipſæ conſonæ, nec enim poſſunt pronunciari conſonæ ſine vocalibus nec vocales ſine conſonis. Si poſteriori modo ſumantur, fatemur vocalium figuras non eſſe additas à viris θεοπνεύστοις. Sed quid hoc ad rem? Sive enim ſint ſcriptæ ſive non ſint ſcriptæ, ſunt tamen ſimul cum ſuis conſonis θεόπνευστοι, quia cum ſuis conſonis à ſacris ſcriptoribus fuerunt conceptæ. *Nec opus* erat illas ſcribi, ſiquidem Hebraicè periti *ſine iis* legere poſſunt expeditiſſimè. Si dicas 1. figuras illas eſſe inventionis humanæ, adeoque non θεοπνεύστους. R. Etiam conſonæ ſunt humanæ inventionis, antequam enim Scriptores ſacri ſcriberent, erant in uſu inter homines. 2. At ſacri Scriptores conſonarum figuras expreſſerunt, non autem vocalium. Sive ipſi Prophetæ charactere Samaritano, ſive Eſras Chaldaico, omnes pariter erant in ſcribendo θεόπνευστοι, atqui figuras vocalium addiderunt, non item. R. Quid refert? ſive ipſi θεόπνευστοι ſive alii figuras illas addiderint, modo voces cum iiſdem vocalibus, quas figuræ iſtæ repræſentant, fuerint con-

C ceptæ

ceptæ à θεοπνεύστοις. 3. Dici poſſit hanc vel illam vocem cum aliis forte vocalibus, quam quas figuræ iſtæ repræſentant, fuiſſe conceptam à viris ſacris. Variatis autem vocalibus, variatur ſenſus, pendetque ſenſus receptus non ab authoritate divina, ſed humana, cui talia puncta addere placuit. R. Eadem ratione poſſe dici, non vocales tantum ſed & conſonas pendere ab authoritate humana, ſiquidem receptus ſenſus ad nos derivatur ex calamo exſcriptoris qui non fuit θεόπνευστος, & fortaſſis aliam conſonam in autographo ſuo legit, aliam ſcripſit. Nec major eſt ratio quare in vocalibus potius erratum, quam in conſonis: Imò innumera exemplaria jam exſcripta erant, antequam puncta reperta eſſent, adeoque ſphalmata in conſonis erant antequam eſſent in vocalibus, quæ poſtmodum per vocalium additionem fuerunt emendata, non in ſcriptione (nam conſonam utut male ſcriptam, mutare vetabat religio) ſed in lectione. Si ergo credimus, Judæos, ut ut non θεόπνευστοι conſonas bene exſcripſiſſe, credendum etiam eos ſuis figuris genuinas vocales repræſentaſſe, quod divinæ dandum providentiæ, quæ non permiſit ut ex infirmitate humana S. veritas pateretur præjudicium. Si quis de punctis potius quam de vocalibus dubitare velit, ei ſenſus & analogia Grammatica omnem ſcrupulum facile eximet. Adeò ut non videam quare multi viri docti de iſtis apicibus tantopere ſint ſoliciti, cum non ſint de eſſentia verbi ſcripti, ſed vocales iis repræſentatæ, quæ abſque apicum auxilio ex linguæ genio deprehenduntur à peritis.

Quid autem hic Voſſius? Suo more in Rabbinos punctorum autores paratragœdiat. Pag. 97. *Vtilitatem quam prætexunt punctorum patroni non inficiarer, ſi conſtaret*

inter-

interpunctionem iſtam rectè fuiſſe inſtitutam. Sed verò hoc exiſtimare, id eſt maſorethas prophetas facere. Ab hominibus barbaris & etiam in vernacula quam jactant lingua peregrinis, ecquid aliud quam vitioſum & ab omni ratione alienum potuit proficiſci? Periit Hebraicæ linguæ ſonus & pronunciatio. Rex David ſi reviviſceret, ac in hodiernis Judæorum Synagogis Pſalmos legi vel cantari audiret, ſciſcitaretur quanam lingua uterentur iſti homines. Probat ibidem inſcitiam Judæorum in punctando, quod *Darii* nomen legant *Darjaves*, *Salomonis Schelomo*, &c. Addit, *Et tamen non deſunt hoc noſtro ſeculo, qui adeo pertinaciter Maſoretarum commentis inhærent, ut ſcelus eſſe exiſtiment, ſi quis hæc vocabula* (nomina nempe propria apud Matthæum & Lucam) *ita proferat, atque ab Evangeliſtis & Apoſtolis fuere prolata.* Concludit: *Si quis veros S. literarum ſenſus cognoſcere aveat, huic præcipuè negligenda eſſe puncta vocalia à Maſorethis excogitata, aut ſaltem reformanda ad mentem tranſlationis* LXX. *interpretum.*

Varia hic occurrunt inconſideratè dicta, ab inſcitia potius & atra loligine quam à Voſſio profecta. 1. *Vtilitatem punctorum à punctorum patronis prætexi*, ait. Quaſi verò alii punctorum minimè patroni eorum utilitatem non agnoſcant. 2. *Interpunctionem illam non fuiſſe rectè inſtitutam.* Ain' Voſſi? At Cappellum citabas, ſtrenuiſſimum illum adverſarium eorum qui punctis patrocinantur. Hunc audi *in Arc. punct. lib.* 2. *cap.* 26. *Ideò urgeri poſſunt omnes hâc punctatione, quatenus & quia demonſtrari poteſt illam ubique ferè optimè congruere cum conſonantibus quibus eſt addita, cum vocum ſerie & ſtructura in oratione, eamque gignere ſenſum commodum, verum, cohærentem, neque poſſe aliam ullam proferri punctationem commodiorem aut aptiorem.* Vide quam diſpar judicium. Pergit ibidem Cappellus: *Si eam* (pun-

Digitized by Google

ctationem) *velint jure repudiare, neceſſe eſt demonſtrent eam non quadrare cum conſonis, cum vocum ſerie & ſtructura, eamque gignere aut nullum, aut inſulſum & abſurdum aut apertè falſum ſenſum vel incommodum, nec antecedentibus aut conſequentibus cohærentem. Nam ſi nihil horum probent, aut demonſtrare poſſint, iniquos planè & deridendos ſe præbent, ſi eam nihilominus pergant rejicere.* Rectè. At tu Voſſi repudias, & tamen nihil demonſtras, annon ergo id agis quod dicit Cappellus? 3. *Exiſtimare punctationem rectè inſtitutam, eſſe Maſoretas prophetas facere.* Quæ ſequela? Si dicam, Voſſium eleganter ſcribere Latinè, ac præcepta Grammatica & Rhetorica ſchemata optimè callere, inde ne ſequetur, Voſſium eſſe Prophetam? Quidni Maſoretæ & Rabbini tantam linguæ Hebraicæ cognitionem acquirere potuerint, ac nos Latinæ? cum integra volumina ſcribant Hebraicè, nihilque facilius quam puncta iis addere quæ ſine punctis leguntur. 4. *At periit Hebraicæ linguæ ſonus & pronunciatio.* Quid inde? Aliter Latinam linguam pronunciant Angli, aliter Germani, quid hoc ad regulas Grammaticas & analogiam linguæ cujus ſolius ratio in additione punctorum habenda erat? 5. Jejunum valde quod à nominibus propriis ducitur argumentum. Quaſi verò ideo Maſoretæ malè punctarint, quia Græci ab iſta punctatione receſſerunt, qui non tantum à punctis ſed & à conſonis recedunt. ex. gr. יצחק legunt ἰσαὰκ ubi nullum apparet veſtigium literæ *chet* in ſecundo gradu aſpiratæ, quæ per χ exprimi potuiſſet. Ita plura alia. Sic quælibet lingua nomina propria ſuo pronunciandi modo accommodat. Jacobum Galli vocant *Jaques.* Quod nullius corruptionis poteſt eſſe indicium. Et qui poſſibile erat ut Græci Salomonis nomen ſcriberent quemadmodum

Digitized by Google

dum Hebræi. Dicitur enim Salomon à שְׁלוֹם *pax*. At in Alphabeto Græco nulla eſt litera quæ רּ שׁ æquipolleat. Non ergo neceſſe erat, ut diceres *ſcelus exiſtimari ſi quis nomina propria ita proferat, ut ab Evangeliſtis ſunt prolata.* Erubeſceres, ſi vel infimæ notæ Theologus nominandus tibi eſſet, qui hoc pro ſcelere habeat. Utrumq; Teſtamentum legimus uti habet textus. Et ſi quis Hebræum legens, nomina propria efferre vellet uti exſtant in Græco, eum non alicujus ſceleris ſed imperitiæ duntaxat inſimularemus, quod idiomatum proprietates non diſcerneret. 6. Fruſtra etiam concludis, *reformandam eſſe punctationem juxta mentem* LXX. Hoc nempe nobis perſuadebis, quando validioribus armis contra opus Maſoreticum, inſtructus acceſſeris, atque hactenus te vidimus.

CAP. VI.

Argumentum tertium proſagogicum pro Textu.

QVi textus perpetuò habitus fuit pro authentico in Eccleſia, is eſt authenticus. Atqui textus Hebraus habitus ſemper fuit pro authentico. E. Prob. minor. *Ad quem textum ultimò tanquam ad ſummum judicem recurrendum erat in Eccleſia ita ut verſiones ex eo corrigendæ eſſent, is habitus fuit pro authentico. Atqui ſic ad Hebraum erat recurrendum.* Ergo &c. Prob. min. I. *A teſtimoniis.* Auguſtin. de Doct. Chriſt. lib. 2. cap. 11. agens de textu Hebræo V. & Græco N. T. *Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus: Hebræa ſcil. & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.* Hieron. Comment. cap. 8. Zach. *Cogimur ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem*

ritatem de fonte magis quam de rivulis quærere. Item Epiſt. ad Suniam. *Sicut in N.T. ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt inſtrumentum. Ita in V.T. ſi quando inter Græcos Latinoſque diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis.* Item ad Vitalem: *Si aliter haberent LXX. Interpp. aliter Hebraica veritas, confugere poteramus ad ſolita præſidia, & arcem linguæ tenere vernaculæ.* Sic teſtatur Ambroſius de textu Græco N.T. de Sacram. incarn. cap. 8. *Ita in Græcis codicibus invenimus, quorum potior authoritas eſt.* Haud dubiè idem dicturus de codicibus Hebræis. II. *A praxi.* Eo enim fine Origenes ſua hexapla & octapla adornaverat, ut verſiones Hebræo textui ſubjunctæ ad ejus normam emendarentur. Ex Hieronymo autem non eſt opus ut quicquam citemus, nam fermè ex omnibus ejus operibus liquet, ipſum omnia verſionum dubia ad Hebraicæ & Græcæ veritatis incudem revocaſſe.

Quid contra hæc Pontificii? Commune effugium eſt, tum temporis non tam turbidos fuiſſe fontes atque nunc ſunt, majoremque fuiſſe verſionum diſſonantiam, ac nunc, adeo ut neceſſe eſſet ad fontes recurrere. Verùm de corruptione fontium pura calumnia eſt, ut poſtea intelligemus. Et poſito, majorem tum fuiſſe verſionum diſſonantiam ac nunc, regula patrum generalis eſt, quolibet tempore ad quodlibet dubium recurrendum eſſe ad Hebraicam veritatem. Sed & hoc falſum, majorem tum fuiſſe in verſionibus diſſonantiam, eadem enim & nunc eſt imo maxima, teſtibus ipſis Pontificiis, adeo ut Pagninus conſenſu Pontificis] novam ex Hebræo tranſlationem adornaverit.

Digitized by Google

Quid iſtis addit Voſſius? Primò *unum Hieronymum cum univerſa committi Eccleſia*, conqueritur pag. 2. At ipſius partes erant, oſtendere nobis vel unum ex Eccleſiæ veteris orthodoxis Doctoribus, qui in rebus dubiis non ad fontem Hebræum ſed ad verſionem *LXX* recurrendum ſtatuerit. Verum quidem eſt, iſtam verſionem fuiſſe in uſu in Eccleſia, ſed quid tum? Verſio Belgica etiam hodie publicè uſurpatur in Eccleſia, ergo ne nobis eſt authentica? 2. Nos *injurios eſſe Hieronymo & ipſius teſtimoniis abuti ad evertendam 70. Interpp. authoritatem*. R. Authoritatem authenticam ipſe Hieronymus diſertis verbis verſioni derogat, quomodo ergo abutimur ipſius teſtimoniis? Sed de iſtis plura in argumento proſagogico pro authentia verſionis.

Cap. VII.

Argumentum primum apagogicum contra Textum.

Qvi *textus eſt mutilus, is non eſt authenticus. At textus Hebræus eſt mutilus.* Ergo &c. Conſeq. prob. Si enim ad textum mutilum tanquam authenticum eſſet ultimò recurrendum, ſubtraherentur nobis multæ Scripturæ particulæ quæ ſunt in verſionibus, & non in textu. Prob. minor. 1. Ab aliquibus fragmentis apocryphis quæ non ſunt in textu, ut Hiſtoria puerorum & Suſannæ apud Danielem, &c. Verùm negamus iſta unquam fuiſſe in textu, adeoque textum iis eſſe mutilum. 2. Ab octo verſibus Pſal. 14. qui non ſunt in textu ſed in verſione, videturque textus hic mutilus, quia Paulus eos habet omnes Rom. 3. 12. R. Satisfecit huic ſcrupulo Hieronymus, dicens, Paulum, non citaſſe iſtos verſus ex ſolo Pſal. 14. ſed & ex variis aliis Scripturæ locis ubi αὐτολεξεὶ reperiuntur.

tur. Unde poſtmodum ab audaculo quodam Græco Pſalmo 14. omnes inſerti, quaſi omnes eo pertinerent, quia Apoſtolus inde primum ſumpſerat. Hoc verum eſſe conſtat ex MS. Græco Alexandrino, ubi verſus iſti citato Pſalmo non reperiuntur. Colligere inde eſt, quam exiguam mereantur fidem, apographa illa τῶν LXX. in quibus exſcriptores tanta cum licentia ſunt graſſati. *Inſt.* At repertus eſt codex quidam Hebræus in Anglia, qui verſus iſtos dicto Pſalmo exhibet. R. Iſtum codicem ipſe Bellarminus & Arias Montanus jamdudum ut fœtum ſuppoſititium exploſerunt.

Iſtis addit Voſſius pag. 20. ex Cappello locum Joſuæ 15. v. 59. de quo infra ſuo ordine in cenſuris.

CAP. VIII.

Status Argumenti ſecundi apagogici contra Textum.

SEquitur πανδρόμηλον illud, in quo omne adverſariorum præſidium, argumentum ſcil. à *corruptione* textus petitum, in qua exaggeranda noſter Voſſius ſua liberalitate omnes ſuperat Jeſuitas, virium tamen quam virulentiæ & verborum parcior. In Præf. ad Lect. ait: *Quis demum locus qui de Meſſia agat, in ſacris occurrit literis, quem illi* (Judæi) *non corrumpere aut ſiniſtra interpretatione enervare ſunt conati.* Mox etiam enarrat cauſas & modum, quare & quomodo corruperint Chronologiam quæ omnia hactenus nemini in mentem venerunt. Pag. 24. Eos *non pauca loca quæ Chriſtum ſpectant in Hebræis mutilaſſe codicibus.* Contra Schotanum pag. 417. Eos *totis ſex vel ſeptem ſeculis ante Maſoretharum laborem tam annos quam prophetias in ſacris codicibus vitiaſſe.* Contra Hornium pag. 311. Theo-

Theologos *agnoſcere à Judæis corrupta eſſe cum alia de Meſſia loca, tum præcipue illum qui occurrit* Pſal. 22. Et tamen in Præf. ad Slingeland. Conqueritur de Hornio, quod ipſi hunc ſenſum affingat: *Vetus Scriptura Hebraica alia fuit antequam interpolaretur à Judæorum magiſtris: Calumniari* ait, Hornium, *quaſi de tota Scriptura Hebraica dixerit, quod tantum de annis quorundam Patriarcharum dixerat.* Quæ verò hæc calumnia? An de annis Patriarcharum duntaxat loquitur, qui prophetias de Chriſto à Judæis corruptas contendit? Nihilominus pag. 292. permittit, ut Codex Hebræus præferatur verſioni; *Si anni Patriarcharum minus corrupti ſunt in verſione* ΟΙ Ο *atque in codice Hebræo, an ideo ſequitur, codicem Hebræum non eſſe præferendum Græcæ tranſlationi?* Laudat deinde Principes & Magiſtratus, *quod ex verſionibus Hebraicum codicem præcipuè ſequendum eſſe ſanciverunt, utpote qui meritò aliis ſit præferendus.* Item pag. 348. ad Hornium: *Hic oſtendere conaris linguam Hebræam rectè vocari authenticam. Ecquis dubitat?* Agnoſcis ergo Voſſi textum Hebræum adhuc eſſe authenticum, & tamen non tantum in annis Patriarcharum ſed & in vaticiniis de Chriſto à Judæis eſſe corruptum ſtatuis? Quomodo hæc poſſunt ſimul ſubſiſtere? An textus in vaticiniis de Chriſto, in quibus præcipuum rei momentum ſitum, corruptus nobis erit authenticus? Quid ni, & quidem meritò, ei ſubſtituis verſionem ΟΙ Ο. nec in vaticiniis nec in annis corruptam? utpote quæ *ſola*, te judice pag. 98. *ſincera eſt* & *ἀναμάρτητος*. Sed video quid velis. Diviſum velles imperium inter Jovem & Cæſarem. Modo in annis authentia deferatur verſioni, tuoque nomini fama novæ Chronologiæ ſarta tecta conſervetur apud poſteros, facilè concederes, ut textus Hebræus tametſi tuis impeti-

tus cavillis, quò faciliori negotio obtineas quod contendis, reliquam authentias partem ſibi vendicet. Sed fruſtra es. Rex regnandi vices non dividit cum ſuis ſubditis, ſic nec textus Hebræus cum ſuis verſionibus. Nec fert cœlum duos ſoles, ſic nec Eccleſia duos textus authenticos, quod poſtmodum ubi de verſione agemus fiet manifeſtius. Nunquam itaque ſatis accuratè expendiſti hoc argumentum, nam quicunque ex Pontificiis textum Hebræum fraudulentæ corruptionis inſimulant, aliud non quærunt quam ut eum ab authentias dignitate dejiciant. Nec ullum videbis Jeſuitam qui laudet Principes & Magiſtratus, quod verſiones ex textu adornari curent, etſi aliàs non abſolutè prohibere audeant verſiones. Verùm quidem eſt Sanctem Pagninum hoc feciſſe conſenſu Leonis Pontificis. Sed non erat Pagninus in iſta ſententia, eum eſſe à Judæis corruptum.

Ipſum verò argumentum ita ſe habet: *Qui textus eſt à Judæis corruptus is non poteſt eſſe authenticus. At textus Hebræus eſt à Judæis corruptus.* Ergo &c. *Reſp.* Diſting. Majorem: Qui textus à Judæis fraudulenter & ſtudio eſt corruptus, is non eſt authenticus. Sic concedimus conſequentiam & negamus minorem. At ſi dicatur: qui textus alicubi ex librariorum incuria corruptè exſcriptus eſt, ita ut nævi aliqui inciderint (quemadmodum Voſſius de LXX. verſione fatetur) is non eſt authenticus. Sic concedimus minorem & negamus conſequentiam. Non enim ideo authentiam derogamus verſioni, quia alicubi nævi apparent, ſed quia non eſt θεόπνευστος. Sic nec nævi poſſunt eſſe cauſa quominus textus Hebræus ſit authenticus. In eo facilè omnes conſentiunt. Tota ergo controverſia in minorem incidit: *An textus Hebræus à Judæis data opera*

ſit

ſit corruptus? Affirmativam tuentur multi Pontificii & cum ipſis Voſſius. Negativam Orthodoxi. Obſervandum hic, qui in conquirendis locis corruptis operam ſuam collocarunt, quò major eorum eſſet ſeges, ea etiam non prætermittere, quę nullius fraudulentę corruptionis poſſunt eſſe ſuſpecta, ſed ſiquid erratum, id non ſtudio ſed ex incuria commiſſum. Adeoque non audiendi ſunt cenſores ubicunque ipſi Judæi ſuorum librariorum errores agnoſcunt & in opere Maſoretico corrigunt. Siquidem inde ad non-authentiam conſequentia trahi nequit. Sed ea duntaxat in cenſum venient, quæ inſimulantur corruptionis quam vel Orthodoxi, vel Judæi non admittunt. Primò autem confirmabimus ſententiam negativam orthodoxorum.

Cap. IX.

Textum Hebræum non fuiſſe data opera corruptum ante Chriſti adventum.

ORigenes & Hieronymus magna antiquæ Eccleſiæ lumina, uterque Hebraicè peritiſſimus, ſic argumentari docent orthodoxos: *Si ſacrum textum corruperunt, id factum vel ante Chriſti tempora, vel poſtea. At neutrum verum eſt, ergo non corruperunt.* Ac *primò* id non fuiſſe factum ante Chriſti adventum, inde conſtat, quia Chriſtus & Apoſtoli id minimè tacuiſſent, ſed populum, ſiquidem in hoc negotio animæ ſalus verſabatur, monuiſſent. Sed tantum abeſt ut Judæos iſto nomine reprehenderint, ut è contra ſuos auditores ad S. Scripturæ lectionem ablegaverint. Ioh. 5. 39. *Scrutamini ſcripturas, nam teſtantur de me.* Paulus ait Rom. 3. 2. *Judæis fuiſſe concredita Deï eloquia.* Non exiſtimandum Deum voluiſſe infidis manibus tam pretioſum committere depoſitum.

Hęc prima argumenti pars tanti apud Voſſium ponderis eſt ut eam admittat. Præf. ad Lect. *Si quis ſcire velit quando hæc depravatio facta ſit, inveniet hoc flagitium tam à Judæis quam Samaritis commiſſum fuiſſe diu demum poſt adventum Chriſti.* Et pag. 23. *Corruit itaque argumentum de codicum depravatione ante adventum Chriſti, ſi qua enim depravatio ante hunc facta ſit, & ſane factam fuiſſe oſtendemus, ea non eſt adſcribenda vitio animi ſed errori & injuriæ librariorum, quæ non promerebatur reprehenſionem Chriſti & Apoſtolorum.* Ad locum verò Pauli Rom. 3. 2. ubi Judæis dicuntur credita fuiſſe Dei oracula reſpondet pag. 26. *Cum ex eo oſtendere conantur Deum hodiernos Judæos verbi ſui conſtituiſſe cuſtodes, fucum omninò faciunt ſenſui Apoſtoli, manifeſtè enim is loquitur de antiquis Judæis, Moſe, Prophetis ac cæteris qui digni habiti ſunt ut legem Dei acciperent. Stultè & nequiter faciunt qui de futuris Judęorum librariis & Maſoretis verba Pauli accipienda eſſe contendunt.*

Reſp. I. Quandoquidem ex loco Pauli aliud non inferunt Theologi quam quod tum temporis nondum facta fuerit illa flagitioſa corruptio, prout tu ipſe agnoſcis, Voſſi, nulla eſt ratio quare de eo potius quàm de aliis eſſes ſolicitus. Adeoque neceſſe non erat ut eum ad Moſen & Prophetas torqueres, & orthodoxæ expoſitioni, à qua tuæ cauſæ nihil imminebat periculi, intercederes.

II. Fruſtra dicis, Paulum loqui de Judæis antiquis, Moſe & Prophetis, loquitur de Judæis ſui temporis & de prærogativa circumciſionis indefinitè. In quo contextu, qui ex capite præced. fluit, ne quidem per ſomnium in mentem ipſi venire poterat, ut loqueretur de Moſe & Prophetis. Et tamen non vereris dicere, Paulum *manifeſtè* de iis loqui. Nimis pro more audacter.

III. Di-

Digitized by Google

III. Dicas etiam mihi. Quis Theologorum ex iſtò loco inferre conatur, *Deum hodiernos Judęos verbi ſui conſtituiſſe cuſtodes?* Annon pudet calumniari? Hoc volunt Theologi, Deum, teſte Paulo, ſua eloquia concrediſſe Judęis, donec illa in manus Eccleſiæ Chriſtianę conſignaret, quod factum eſt à temporibus Apoſtolicis. Imò tanta fuit Dei providentia, ut etiam primis Maſoretis tanquam inſtrumentis uti voluerit, quorum induſtria codices ab illapſis mendis extergerentur, quo ſubſequentium ſeculorum Eccleſia eos haberet puriores. Sic ergo non hodierni Judęi ſed hodierna Eccleſia verbi Dei cuſtos eſt, invitis omnibus Judęis.

CAP. X.

Nec fuiſſe corruptum ab adventu Chriſti uſque ad tempora Hieronymi, teſtantibus Origine & Hieronymo.

PArs altera minoris negat corruptionem poſt Chriſti adventum, hoc modo: *Si corruptus fuit textus poſt Chriſtum, factum hoc fuit vel ante tempora Hieronymi vel poſt ea. At neutrum verum eſt; ergo poſt Chriſtum non corruptus.* Minor probatur iterum per partes: Ac *primò* nullam fuiſſe factam corruptionem à Chriſto ad Hieronymum uſque, per 400. nempe annos, probatur duplici ratione. *Prima* à *teſtimonio* Origenis & Hieronymi, apud Hieron. in cap. 6. Eſaiæ, qui Judæos à corruptionis crimine abſolvunt quia Chriſtus & Apoſtoli eos iſto nomine non reprehendunt. Et quidem Hieronymus diſertè ait, ſi poſt Chriſti tempora codices ſint falſati, neceſſe eſſe Evangeliſtas & Apoſtolos ita teſtimonia protuliſſe, ut poſtea falſaturi erant Judæi, quod ridiculum. His ſuffragatur Auguſtinus de

 Civit.

Digitized by Google

Civit. lib. 13. cap. 13. *An credibile? ipſos codicibus ſuis voluiſſe eripere veritatem, ut nobis eriperent authoritatem, vel per totum orbem diſperſos, potuiſſe in hoc conſpirare, nullo contradicente?*

Ad duo teſtimonia reſpondet Voſſius ſeparatim. I. *De Origine. Nunquam,* ait pag. 23. *is dubitavit quin plurima in Hebraicis codicibus loca eſſent corrupta, ſed non putavit errores iſtos malignitati Scribarum aut Phariſæorum, ſed uni negligentiæ imputandos, non vitio animi ſed incuria librariorum, quæ non promerebatur reprehenſionem Chriſti & Apoſtolorum.* Quod capite præcedenti fuit conceſſum. R. At ſic non elaberis, Voſſi. Nam 1. citatur Origenes ab Hieronymo, qui melius mentem ejus noverat quam tu vel ego. Non ergo hoc tantum intendebat Origenes ut diceret, nullam uſque ad tempora Chriſti factam fuiſſe corruptionem, ſed & ad ſuam uſque ætatem nempe 200. annis poſt Chriſtum eam necdum contigiſſe. Et ſi tale quid ſuboluiſſet, putas-ne eum id fuiſſe diſſimulaturum, præſertim cum in eo eſſet ut Judæos excuſaret? 2. Neque hic agitur de erroribus ex negligentia, ſed de iis, quos ſupra *flagitium* vocabas. Ineptus quippe fuiſſet Origenes, ſi ejuſmodi conſequentiam concepiſſet: Chriſtus & Apoſtoli non reprehendunt Judæos alicujus corruptionis, ergo eorum errores uni negligentiæ ſunt imputandi, qui non merebantur reprehenſionem. Quomodo iſta argumentatio à non-reprehenſione in mentem ipſi venire potuit, ſi tantum ad errores ex incuria concludere volebat, quid inde lucri? iſti enim per ſe noti erant, ſed ad flagitia concludebat, à quibus Judæos tam poſt quam ante Chriſtum hoc argumento voluit præſtare immunes.

II. *De Hieronymo* ait, *ejus ratiocinationem non aliunde pro-*

promanaſſe, quam ex eo quod duo vel tria loca quæ proferunt Evangeliſtæ & Apoſtoli, recedant à tranſlatione LXX. *Int. conveniant autem cum lectione codicis Hebræi.* Addit: *Non ſatis attenderunt viri ſancti verſionem* LXX. *Int. olim conſpiraſſe cum lectione Hebraica & Apoſtolica, diſcrepantiam autem ex eo natam quod Judæi ſtatim poſt tempora Apoſtolorum interpolarunt hæc verba in codicibus Græcis.* Adeoque ex hoc argumento aliud colligi non poſſe concludit, quam quod Judæi, *ſicut non pauca quæ Chriſtum ſpectant, mutilarunt in codicibus Hebræis, quæ tamen integra remanſere in tranſlatione* LXX. *vice verſa non nulla corruperint in tranſlatione, quæ tamen ſalva perſtiterint in exemplaribus Hebræis.* R. O inſulſam audaciam! ne quid gravius dicam. Nimis ineptè ſtudes pervertere mentem Hieronymi. Non enim ille conqueritur de non-convenientia inter citationes Apoſtolicas & verſionem, ſed reſpicit convenientiam inter citationes illas & textum Hebræum, indeque dicit, corruptionem non poſſe eſſe in textu, quia Apoſtoli eum ita citarunt, uti ſuo tempore habebat, non autem potuiſſe eos citare prout poſtmodum Judæi falſaturi erant. Si ergo citationes Apoſtolicæ erant incorruptæ, uti reverà erant, ſanè textus unde citabantur, non potuit dici corruptus. Et ſi hoc verum, quomodo potuit vir ſanctus in ſua ſequela, ex eo quod non ſatis attenderit, eſſe deceptus? Næ tu nunquam non victor eris, ſi tua nobis ſomnia pro lege obtrudere tibi liberum. Si quid ergo iſtorum patrum valet authoritas, hactenus cauſa tua cecidiſti.

Quod verò dicis, Judæos interpolaſſe codices Græcos. Id vel ante Chriſtum fuiſſet factum vel poſt Chriſtum. Non ante, quia Apoſtoli noluiſſent uti verſione corrupta. Si poſtea factum, ſciverunt id Chriſtiani quia omni tempore

tempore fuit in eorum manibns, de quo ſuo loco. Quicquid ſit, non multum hoc commendat verſionem.

CAP. XI.

Ratio alia qua idem evincitur.

SEcunda ratio ſumi poteſt à *multitudine exemplarium.* Omnes quippe Judæi per univerſum orientem diſperſi habebant codices Hebræos. Quomodo ergo potuit hoc flagitium tam univerſaliter committi ut ne unum quidem exemplar incorruptum remanſerit in poteſtate Judęorum proſelytorum, vel tam furtim, ut nemo Chriſtianorum illud animadverterit?

Huic argumento Voſſius in Præf. ad Lect. his verbis it obviam: *Quod autem quærunt nonnulli, qui fieri potuerit ut omnia exemplaria Hebræa ab iis corrumperentur, id nequaquam mirum debet videri. Sane poſt excidium Jeroſolymorum non potuerunt multa ſupereſſe exemplaria, & forſan ne tria quidem. Judęos quod attinet qui etiam antequam gens exſcinderetur, per totum Romanum imperium erant diſperſi, illi non Hebręis, ſed Gręcis utebantur codicibus.*

Reſp. Nimium tuę ignorantię confidis Voſſi. 1. Putasne Judæos illos diſperſos uſque adeo fuiſſe ſupinos, ut codices Hebræos non habuerint? 2. Expende locum Actor. 15. 21. *Moſes ab ætatibus antiquis oppidatum habet qui ipſum prędicent cum in Synagogis per ſingula Sabbatha legatur.* In qua lingua putas Moſen fuiſſe lectum? Græca-ne ſola? Cave dicas. Reclamat enim hodierna & omnium temporum Judæorum praxis. Etſi quandoque Hebręam linguam minus intelligerent, homines tamen linguæ ſanctæ, imo & characterum ad ſuperſtitionem uſque tenaces, legem

Digitized by Google

legem Hebraicè ſcriptam ſingulis Sabbathis membranis involutam videre & lectam audire voluerunt & etiamnum volunt, quæ tamen in linguis vernaculis explicabatur, ſive Chaldaicè, ſive Græcè, ſive Syriacè, uti hodie Germanicè vel Luſitanicè. Sic Eſram juſſiſſe ſuoque exemplo confirmaſſe ferunt Nehem. 8. 8. ויקראו בספר בתורת האלהים מפרש *Et legerunt in libro, lege Dei explanatè.* Quæ verba ſic explicantur în Talmude Çod. Megilla, cap. 1. in Gemara [זה תרגום] ויקראו בספר תורת האלקים [זה, מקרא מפורש] *legerunt in libro legis Dei, i.e. in Scriptura Hebraica, & quidem explanato, i.e. per targum expoſito.* Cum ergo iſte mos in omnibus Judęorum Synagogis obtinuerit, quomodo dicere audes? *forſan ne tria quidem ſuperfuiſſe exemplaria poſt excidium Hieroſolymorum?* 3. Fruſtra etiam addis *Judæos diſperſos non Hebręis ſed Gręcis uſos fuiſſe codicibus.* Præterquam quod jam intelligas hoc apud ipſos etiam Græcos falſum eſſe, qui utebantur codicibus Hebræis in cultu publico, etiam falſum hoc eſt reſpectu aliorum Judęorum qui non habitabant in Gręcia. Putasne omnes illos qui nominantur Act. 2. *Parthos, Medos, Elamitas, Meſopotamios, Cretes, Arabes, Romanos,* &c. Græcè locutos eſſe? Si non, quid ergo ipſis cum exemplaribus Græcis? Ergo-ne iis carentes carebant Scriptura? Vide quam incautus ſis, dum ais: *te non videre qui præter ſomnia Rabbinorum & vanas conjecturas tibi poſſit opponi.* 4. Quin & iſto modo temetipſum in vincula conjicis. Dicis enim pag. 23. *te oſtenſurum ante Chriſti adventum factam eſſe depravationem.* Unde quæſo hoc oſtendes? an ex tribus illis reſiduis codicibus, an verò ex iis qui perierunt in excidio? de illis nullum potes ferre judicium. Horum trium extant tantum apographa. At unicum iſtius de-

monſtrationis fundamentum foret labor Maſoreticus. Qui verò ſcis, Maſorethas in iſtis tribus an verò in eorum apographis inſtituiſſe correctionem? Quid ſi iſta tria dicam correctione non indiguiſſe, unde oſtendes depravationes ex incuria fuiſſe ante Chriſtum? Libera ergo te ab iſta anguſtia, ſi ſapis.

CAP. XII.

Nec fuiſſe corruptum poſt tempora Hieronymi, probatur ab opere Maſoretico.

VAlidiſſimum à *Maſora* argumentum duxerat Cl. Hornius, dicens: *Acceſſit ſtupenda Maſoretharum diligentia, qui etiam ſingulas literas in cenſum retulere, & ſi quæ corruptelæ in quædam exemplaria irrepſerant, ex correctiſſimis & indubitatis ipſi in perpetuum ſuſtulerunt.* Reſpondet Voſſius pag. 311. *Mirificum argumentum, quia nempe Maſoretæ ante duo tria & quatuor ſecula, etiam ſingulas literas numerarunt, ideo non potuerunt ante quatuordecim & quindecim ſecula vitia à librariis Judæis committi.* Et pag. 312. *Illud verò prorſus abſurdum, Maſoretas ex correctiſſimis & indubitatis exemplaribus Hebraici codicis corruptelas in perpetuum ſuſtuliſſe. Vnde iſta indubitata exemplaria in Maſoretarum manus delata ſunt? an ipſum Moſis nacti ſunt autographum? Si hoc ſit, cur ergo de veritate hujus aut illius lectionis uſque ad verbera & ſputum inter ſe digladiantur Judæi?* Et contra Schotan. pag. 417. *Eludat ſi poſſit vel ipſe vel quotquot ſunt Judæi, argumenta quibus evincimus, totis ſex vel ſeptem ſeculis ante iſtum Maſoretarum laborem tam annos quam prophetias in ſacris codicibus à Judæis fuiſſe vitiatas,* nempe corruptione flagitioſa, ut liquet ex præfatione.

Reſp.

Reſp. At ego mirificam dico tuam ignorantiam, nec enim hiſtoriam noſti, nec vim argumenti capis. I. *Si* Buxtorffii Tiberiada legiſſes, noſſes primos Maſoretas non demum ante duo, tria, & quatuor ſecula ſed ante *poſt Hieronymi confectum Talmud, i. e. vel ante vel * tempora floruiſſe. Creberrima quippe τῶ קרי וכתיב, numeri item quo literas, voces, & verſus S. Scripturæ in numerato habebant Judęi, fit mentio in Talmude. Hoc autem abſolutum fuit 500. poſt natum Chriſtum annis. Floruit Hieronymus ſub finem ſeculi quarti. De numero ſic legimus in libro *Kidduſchin* cap. I. לפיכך נקראו ראשונים סופרים שהיו סופרים כל אותיות שבתורה. *Ideo vocati ſunt priſci numeratores, quia numerarunt omnes literas legis.* Vide quantam injuriam inferas Cl. Hornio tuis aculeatis dicteriis, quaſi *poma aut nuces cogitarit*, cum hæc de numero ſcriberet. Modeſtius agendum erat in re ubi tam parum eras verſatus.

II. Mens Cl. Hornii non erat, ut diceret, exſtitiſſe tum temporis exemplaria tam indubitata, qualia ſive Eſræ ſive Moſis autographa θεόπνευστα fuerunt, ſed comparativè loquendo ex correctiſſimis quę exſtarent, Maſoretas menda omnia ſuſtuliſſe ex minus correctioribus.

III. Fruſtra miraris, quod addiderit, eos ſuſtuliſſe corruptelas omnes *in perpetuum*, ita ut poſt iſtum laborem nullum amplius mendum potuerit irrepere, ne quidem ex flagitio, quod nunquam factum. Hoc ut percipias, Maſoræ & Maſoretarum procedendi modus tibi explicandus eſt. Duplex fuit Maſora; *Ante-Talmudica* & *Poſt-Talmudica*. *Ante-Talmudica*, de qua præcipuè hic agitur, ante Talmud Babylonicum confecta eſt, nempe ſub initium ſeculi quinti ante mortem Hieronymi qui deceſſit Bethlehemi an. 420. juxta Bucholzerum. Varii horum

Maſoretharum fuere labores. Quo autem tempore cœperint, vix dici poteſt. Aliqui eorum initia revocant ad tempora Eſræ & viros Synagogæ magnæ, quod fortè eſſe poſſit, quoad verſuum & capitum diſtinctionem. Collationem verò exemplarium quod attinet, & vocum literarumque enumerationem, eam poſt excidium Jeroſolymæ demum cœptam omninò veriſimile. Primi in hoc opere erant Judæi Tiberienſes, ubi literarum exercitia diu poſt excidium floruerunt, teſte non tantum hiſtoria Judaica ſed & Hieronymo qui Tiberienſem habuit præceptorem. Hi collatis omnibus quæ conquiri poterant exemplaribus, omnes diſcrepantias curioſè annotaverunt, ita nim. ut ſe non Judices aut expunctores conſtituerent, (veneranda enim exemplarium antiquitas id non permittebat,) ſed obſervatores duntaxat. Id eſt, ubi inter duos codices diſcrepantia eſſet, lectionem meliorem hujus codicis apponebant margini alterius, relicta in ejus textu lectione minus bona. Idque ſub nominibus *Keri* & *Cetibh. Lectum* & *Scriptum*. q. d. *in hoc textu vox iſta ita ſcripta eſt, in alio autem ſic legimus,* nempe ſicut in margine poſuimus. Idem faciebant, quando utraque lectio æque bona erat, quod tamen rarum. Atque ita poſteris teſtatum faciebant, nihil data opera à ſe mutatum, ſiquidem ipſos errores in textu relinquebant. Idem labor mox in Babylonia, deficientibus paulatim ſcholis in Palæſtina, fuit continuatus. Hinc nata diverſitas aliqua in lectionibus inter Orientales, (i. e. Babylonios) & Occidentales, i.e. qui erant in terra Iſraëlis. Doctores quippe Babylonici in iſtis regionibus inveniebant antiqua exemplaria, Occidentalibus nunquam viſa. Adeoque & novos detegebant errores ab Occidentalibus non obſervatos, quia in horum codi-

cibus

Digitized by Google

cibus non erant. Hinc non mirum, in Orientalium codicibus quandoque aliquod repertum Keri quod non erat in Occidentalibus, & viciſſim in Occidentalibus quod non in Orientalibus. Etiam ubi diverſitas eſſet abſque nota. Ex. gr. In Occidentalibus legebatur Jud. 20. 42. אל דרך per א eſt Keri & Ketibh, i. e. abſque ulla nota, quia hi alios codices non viderunt quam qui ita haberent. In Orientalibus על דרך per ע eſt Keri & Cetibh, i.e. abſque nota, quia non viderunt codices aliter habentes. Jud. 1. 21. in Occidentalibus vox ישב eſt Keri & Cetibh quia non viderunt codices aliter habentes. At in Orientalibus eſt tantum Cetibh, Keri verò eſt ישבי addito Jod, quia viderunt exemplaria quæ ſic haberent. Joſ. 7. 21. in Occidentalibus vox ואראה eſt Cetibh, at Keri eſt וארא ſine He. In Orientalibus econtra Cetibh eſt וארא & Keri eſt ואראה utraque hæc lectio æquè bona eſt, & permutatio Keri & Cetibh tantum eſt, quod Occidentalibus prius in manum inciderit codex ubi Cetibh erat cum He, Orientalibus autem ubi illud erat ſine He, *& res eodem recidit*. Ejuſmodi diſcrepantias inter *Orientales & Occidentales* quidam Poſt-talmudicus obſervavit ultra 200. quorum Catalogus extat in Polyglottis Londinenſibus Tom. 6. Et ſiquidem Maſorethæ Poſt-talmudici punctorum inventores Occidentales erant, addiderunt illi τοῖς Cetibhin puncta τὰ Keriin Orientalium, ſiquidem in iſto Catalogo varia Orientalibus adſcripta reperiuntur, quæ hodie tamen in codicibus Occidentalium, qui noſtris manibus feruntur, extant. Quod ſignum eſt, hos ab illis multa mutuatos eſſe. Hinc conſtat iſtorum hominum ad ſuperſtitionem uſque fidelitas. Nullum quippe Keri admittere voluerunt, etiamſi ipſa analogia ad-

admittendum doceret, niſi viderint exemplar aliquod antiquum, quod ſua illud authoritate comprobaret. Plus ego largior omnibus in hoc argumento adverſariis quam Judæi in mutationis negotio unquam ſibi aſſumere auſi ſunt, nempe quod Aphoriſmo 13. ſtatuam ſpicilegium Maſoræ poſſe inſtitui à Chriſtianis non ex collatione antiquorum exemplarium quibus deſtituimur, ſed ex parallelia & allelouchia locorum, itemque fidei & utriuſque Teſtamenti analogia. Quam ergo abſurdum ut ex verſionibus illud fiat, quam item abſurdum, Judæos data opera aliquid corrupiſſe, qui ne quidem iſtum quem ego admitto, agendi modum permiſiſſent. Adeo ut, etiamſi ſanctitate fœderis exciderunt, hâc tamen in parte fideles Dei ſervos (ζῆλον nempe θεοῦ ἔχοντες, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν Rom. 10. 2.) eos nuncupare non dubitem. Jam vides, Voſſi, quam verò dixerit Hornius, *corruptelas omnes in perpetuum eſſe ſublatas*. Omnia quippe recentiora apographa ad Maſoretarum Ante-talmudicorum notas confici debebant, ita ut τῶν Cetibhin etſi vitioſis, in ipſo textu repetitis, nullum Keri omitteretur. Si autem exſcriptor novum committeret errorem, is in relectione habebatur ut hodie vitium typographicum, quod liberè poteſt expungi, modo reliqua omnia antiquis exemplaribus reſponderent. Non enim tanta erat novi ſcribæ authoritas, ut mala ſua ſcriptione novam diſcrepantem lectionem Catalogo variarum Lectionum inferre potuerit, quæ ſola exemplaribus antiquis, ante Maſoretarum laborem confectio vindicabatur. Aliàs iſtæ diſcrepantiæ tandem in infinitum excreviſſent.

IV. Jam ſi roges: *Quare ergo Judæi digladiantur?* R. Si iſti de lana caprina digladiantur, quid hoc ad nos? Maſo-

Maſoretæ Poſt-talmudici punctorum inventores, poſt ſe reliquere diſcipulos, alterum *Ben Aſcher* à parte Occidentalium, alterum *Ben Naphtali* à parte Orientalium, qui floruerunt poſt decimum à nato Chriſto ſeculum, hic in Babylonica, ille, ut ajunt, Tiberiade. Hi Maſoram etiam punctorum adornantes, Academica ſimultate ſe invicem inſectati ſunt. Quod ſi ergo hodierni Judæi, vel ſuper iſtorum hominum circa vocales & accentus induſtria, vel ſuper ſenſu myſtico Talmudico, quem ne decimus Rabbinus intelligit, ad verbera uſque & ſputa, ut ais, digladiantur, quid hoc ad S. Scripturam? quid ad te & me? Conſpuant ſe & diverberent quantum volent, habemus nos authenticum textum, cujus analogia, adhibito veterum Maſoretarum labore nobis purum Dei verbum ſuppeditat, ita ut externis adminiculis, ſive punctis ſive verſionibus non indigeamus, quæ tamen ſi quid luminis & adminiculi ad verum ſenſum eruendum afferre valeant, id minimè rejiciendum, ea nim. lege, ne in ſacrum textum ſeu opus Dei dominetur opus humanum, ſic enim ne *Maſoretis quidem* fidimus ſi in aliquo Keri erraſſe, ex Scripturæ analogia deprehendantur, ſiquidem non divinum ſed humanum ipſorum opus fuit, poterantque meliori Cetibh pejus Keri ſubſtituere.

Cap. XIII.

Aliis probatur rationibus, nunquam fuiſſe corruptum.

I. *A providentia Divina*, quæ non permiſit ut S. Scritura divinitus inſpirata eo uſque corrumperetur, ut inutilis fieret quæ ſalutiferam veritatem ſuppeditaret, quæ finis erat θεοπνευστίας. Reſpondet Præf. ad Lect.

Ad

Ad providentiam iterum, iterumque provocant divinam. Obſtituram hanc fuiſſe dicunt, ne tale facinus committeretur. Deum enim omni tempore ſummopere invigilaſſe ut codex Hebræus purus & intaminatus conſervaretur, &c. Si quis objiciat varietatem codicum Hebræorum, nec tum quoque aliquid ſolidi quod reponant, inveniant. R. Vidimus cap. præc. quomodo in iſta codicum varietate providentia Divina elucescat. Adeoque iſta reſponſio nulla eſt. Agitur enim de corruptione flagitioſa quam providentia Dei impedivit.

II. *Ab evidentia* locorum de Meſſia agentium quæ non reliquiſſent intacta Judæi, ſi quid flagitii circa textum in animo habuiſſent. Tantum verò abeſt id fuiſſe factum, ut longe illuſtrius Chriſtianæ fidei teſtimonium perhibeat textus Hebræus, quam verſio Græca aut Latina. Fatente ipſo *Andradio* etſi Pontificio: *Si quis velit Judæorum petulantiam coërcere, & dementiam reprimere, multò illuſtriora & apertiora ex Hebræis, quam ex Græcis & Latinis codicibus argumenta poteſt deducere.* Objici hic ſolet locus Pſal. 22. de quo in ordine ſumus dicturi.

III. A teſtimonio *Philonis Judæi*, qui vixit tempore Apoſtolorum, quod ex Euſebio lib. 8. cap. 2. de Præp. Evang. citatum, jure merito allegavit Cl. Hornius, poteſtque applicari non iſti duntaxat ætati, quæ inter Chriſtum & Hieronymum interceſſit, ſed omnibus aliis. Sic ibi habet editio Latina Baſilienſis: *Mirabile videtur, duobus annorum millibus ne verbum unum in lege mutatum eſſe, ſed centies unusquiſque Judæorum morietur, quam legi Moſaicæ derogabit.* Reſpondet Voſſius pag. 311. *Locus Philonis minimè ſententiæ noſtræ adverſatur. Eſto ut exemplaria Hebraica immunia fuerint ab omni corruptione, non tantum Philonis ætate, ſed etiam tempore Joſephi & excidii Hieroſolymitani. Negat*

tamen

Digitized by Google

tamen hoc Cappellus. Illud inſitiari nemo poſſit, poſt everſionem templi diſperſionemque Judæorum, ex negligentia librariorum, multos natos eſſe errores. R. Futilis eſt iſta reſponſio, non enim quæritur de negligentia librariorum, ſed de flagitioſa corruptione, quam negat Philo, ducto argumento à Judæorum tenacitate, qua uſque adeo mordicus adhærent legi, ut ne verbulum quidem in ea data opera mutari permittant. Maximè ergo facit hoc teſtimonium contra tuam ſententiam.

CAP. XIV.

Textus corruptio probatur primò à Tikkun Sopherim.

EXcuſſis argumentis pro integritate fontis Hebræi militantibus, ſequitur ut pars adverſa ſuam quoque cauſam agat. Pugnatur hic *primò* Teſtimoniis, *ſecundò* Demonſtrationibus. In primo genere Voſſius valdè parcus eſt. Ut tamen cauſæ ſatisfiat, inde faciendum initium.

Primum teſtimonium petitur ab ipſa Judæorum confeſſione de 18. vocibus mutatis, quam actionem vocant *Tikkun ſopherim.* Loci iſti enumerantur in Maſora textuali Num. 1. in quadratura tituli, additque ibidem Maſoræ collector אלו י״ח דברים תיקון סופרים ודקדוקין משובחים *octodecim iſta ſunt verba correctionis ſcribarum, eorumque conſiderationes ſunt laudabiles.* Hinc argumentum; qui ſua ſpontè textum in octodecim illis locis mutarunt, ipſumque Cetibh nullo addito Keri calamo ſuo transformarunt, illi textum corruperunt. At iſti Sopherim hoc fecerunt. Ergo, &c. Sic Galatinus, Porchetus, & alii.

Reſp. 1. Nihil hic poteſt ſubeſſe fraudis, quia ipſi Judæi fatentur quid hac in re factum ſit, quod aliàs nemo

 ſcire

Digitized by Google

ſcire potuiſſet. 2. Siquidem Talmud nullam iſtius tikkun facit mentionem, cæcutiunt Judæi, neſciuntque unde iſtam traditionem habuerint Maſorethæ, & fortaſſis mera fabula eſt, talem unquam mutationem in iſtis octodecim vocibus fuiſſe factam. Sic conjicit Chamierus, & ipſe etiam Bellarminus. 3. Si Maſoretis poſterioribus habenda fides, ipſe Eſras ejus autor eſt, nam Num. 12. 12. ad unam ex iſtam vocibus addit Maſora יח׳ תקון עזרא *Correctio Eſræ*. Hoc ſi verum, erant errores qui ante captivitatem Babylonicam irrepſerant, quos Eſras θεόπνευςος potuit expungere. Eſtque, ſi res ita ſe habet, traditio omnium antiquiſſima. 4. Et ſanè ſi vera, ad Eſreana tempora referendam colligitur ex verſione LXX. Interp. in qua nullum iſtius mutationis apparet veſtigium, legerunt enim iſtas voces, prout hodie in omnibus exſtant exemplaribus. 5. Neque ulla iſtarum vocum eſt, quæ cauſæ Judæorum contra Chriſtianos aliquod ſubſidii afferre poſſit. Adeo ut non liqueat, quare Judæi eas data opera corruperint. Voſſius etiam nullam, quod ſciam, hujus argumenti mentionem facit, vel quia illud ignoravit, vel quia flocci fecit.

CAP. XV.

Probatur ſecundò à teſtimoniis Patrum.

DIverſi Patres hic in ſcenam producuntur. Duo nominantur à Voſſio. 1. Juſtinus Martyr pag. 24. *Qui Dialogo cum Tryphone non uno in loco Judæos hoc nomine acriter ſugillat.* 2. Africanus Præf. *Primus qui hanc codicum diſcrepantiam annotavit, is fuit Africanus.* R. Sed quia neutrius verba citat, quomodo nobis perſuadebit, verum eſſe quod eſt in quæſtione? Si Africanus aliquid præter Chronologiam

Digitized by Google

logiam annotavit, id ante ipſum annotarunt Judæi, adeoque ipſe non fuit primus. Si primus inter Chriſtianos annotavit diſcrepantiam Chronologicam inter Hebræos & Græcos, quid hoc ad rem? oſtendatur ubi flagitioſæ corruptionis accuſet Judæos.

Juſtini verba ab aliis citata hæc ſunt. *Multos locos funditus abſtulerunt ex interpretationibus ſeniorum qui fuerunt tempore Ptolemæi.* Reſpondeant hic qui cauſam verſionis agunt. Nos textum defendimus.

Chryſoſtomus nonnullis videtur verſionem Grçcam anteferre textui Hebræo, dum ait. *Omnium maximè fide digni ſunt* LXX. *alii enim poſt Chriſti adventum interpretati, Judæi permanſerunt, meritò ſuſpecti, ut qui ex odio locuti ſint & prophetias de induſtria obſcurarint.* R. Non præfert Chryſoſtomus verſionem Græcam textui Hebræo de quo nihil pronunciat, ſed aliis verſionibes Græcis. Adeoque hoc teſtimonium nullum eſt.

Hieronymus in Micham hæc habet. *Nec in Hebraico nec apud alium invenitur interpretem, & ſive de veteribus libris eraſum ſit malitia Judæorum, ne Chriſtus de tribu Juda ortus videretur, ſive à* LXX *additum. nequaquam liquidò cognoſcentes, certum quid novimus.* R. Non eſt Hieronymus committendus cum ſemetipſo, qui tam luculenta ſæpe pro Hebraica veritate profert teſtimonia. Dubitabundus autem hic loquitur, quod ſanè vim teſtimonii habere nequit.

Origenes dixiſſe legitur. *Judæi qui exemplaria nonnulla falſarunt, etiam in hoc loco pro peccato Juda, peccatum eorum poſuerunt.* R. Apertè loquitur de verſione τῶν LXX. Ubi viderit Voſſius quid reſpondendum ſit. Et hæc ſunt quæ ex univerſa antiquitate contra textum Hebræum afferri

 poſſunt.

poſſunt. Non ergo eſt, qui eum oppugnant, ut de patribus multum glorientur.

CAP. XVI.

Status argumentorum à Demonſtrationibus.

ACcingimur tandem ad cenſurarum, quibus textus Hebræus impetitur, peculiare examen in quo ſumma rei. Adverſarii flagitioſam depravationem demonſtraturi integrum textum à principio ad finem uſque evolverunt, nec quicquam eorum quæ ad exaggerandum crimen conducere videbantur, omiſerunt. Præcipuus qui in hâc palæſtra ſe exercuit fuit *Gordonus* Jeſuita, qui triginta loca obſervavit corrupta, ſed à Cl. Chamiero vindicata. Acceſſit *Morinus*, qui Hebræorum etiam Chronologiam ſugillare non eſt veritus, etiamſi Pontificius & vulgatæ verſionis, quæ textui Hebræo hac in parte favet, authentia ex Tridentino decreto conſtrictus. Quem ſequitur Cl. Waltonus in Proleg. in Polyglotta Anglicana, modeſtè tamen. At noſter Voſſius animoſè, qui ut argumento ſpeciem conciliaret ampliorem, Gordoni etiam aliorumque ſcrinia aperire neceſſe habuit, ut inde mutuaretur adminicula quibus textum labefactaret in theſi, & viciſſim Ꝟ LXX. verſionem ab objectis corruptelis liberaret. Duobus his è via remotis impedimentis faciliorem tranſitum ſuæ Chronologiæ ſalvumque conductum ab omnibus ſe impetraturum ſperabat. Sunt itaque duorum generum iſtæ criminationes. Primum verſatur circa ſolam Chronologiam, Poſterius circa alia Scripturæ loca, quorum numerus non uſque adeo magnus eſt. Hic verò obſervandum, Voſſium in pleriſque locis verſionem à crimine ita

ita abſolvere, ut eadem opera culpam in textum Hebræum rejiciat. Unde factum ut iſta loca in eorum quoque cenſum referenda fuerint, in quibus textus accuſatur ſimpliciter. Adeoque iſtis omnibus vindicatis, manebit culpa penes verſionem, quam tamen poſtea, ut methodicè procedamus, ex inſtituto gravabimus. Initium faciemus à locis Chronologicis, de quibus agendum 1. In genere. 2. In ſpecie. *In genere* conſiderandum, *an Judæorum Chronologia data opera fuerit corrupta?* Data opera, inquam, nam ſi incuria librariorum id fuiſſet factum, Maſora ejus rationem habuiſſet quod non factum. Vel ſi quis Maſoram hac in parte oblivionis & oſcitantiæ inſimulare velit, ei Maſoræ ſpicilegium permittimus, ſed quod fiat per interna principia, fidei nempe & Grammaticæ analogiam, locorumque allelouchiam & paralleliam. Hoc medio ſi quis Chronologiam Hebræorum erroris convincere poſſit, nuncium ei mittimus & aliam amplectimur. *In ſpecie* agemus 1. De Hebræorum Chronologia ante Abrahamum. 2. De eorum Chronologia poſt Abrahamum. De *illa dicendum primò* in genere. Deinde in ſpecie de Cainane qui ejus partem conſtituit.

Cap. XVII.

An Judæorum Chronologia data opera fuerit corrupta? ubi de ſex mille annis Eliæ.

PRo parte negativa Cl. Hornius uſus erat argumento à majore ad minus. Qui ne quidem vaticinia quæ Chriſtum & fidem Chriſtianam ſpectant, corruperunt, quid illi annos corruperint, qui eo non ſpectant? Conſequentiam hanc negat Voſſius, ſtatuitque annos non minus

 quam

Digitized by Google

quam vaticinia eo ſpectare Præf. ad Lect. *Nam, inquiunt, ſi depravare voluiſſent ſacra volumina, utique depravaturos fuiſſe ea loca quæ de Meſſia agunt, annos vero nihil ad Meſſiam pertinere. Sed in eo falſi ſunt cum nihil magis ad Meſſiam pertineat. Tota quæ Chriſtianos inter & Judæos eſt diſputatio, illa agit de tempore. Iſti Meſſiam exſpectant quem nos adveniſſe credimus. Cum itaque viderent tempus adventus Meſſiæ præteriiſſe, expleti quippe erant anni ſex mille à creatione mundi, ut lucrarentur annos bis mille, tota quatuordecim ſecula è codicibus ſuis expunxerunt. Reſidua quinque vel ſex ſecula ut abolerent, decurtarunt intervalla judicum omittendo anarchias & contrahendo ſpatia regum Perſicorum, quo pacto totis bis mille annis menſuram temporis multarunt*. Si roges, unde conjecerint Judæi tempus Meſſiæ præteriiſſe, videtur aſſerere id eos conjeciſſe ex Cabbala ſeu traditione quę tribuitur Eliæ. *Sex annorum millia mundus eſt duo millia inane, duo millia lex, duo millia dies Meſſiæ*. Iſta ſex millia juxta calculum Voſſii ab initio mundi jnumerata in adventu Chriſti erant elapſa. Adeoque fruſtra exſpectabatur Judæorum Meſſias, utpote qui ſecundum iſtam Cabbalam bis mille annis ante Chriſti adventum comparere debuiſſet, quod agnoſcentes Judæi menſuram temporis bis mille annis multarint ut ſic haberent duo millia in reſiduo. Si dicas, Voſſiano calculo Chriſtianis interverti argumentum ad hominem, quod ex iſta Cabbala ducunt contra Judæos, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, quia eo tempore venit quo Meſſias venire debebat juxta Cabbalam. nempe poſtquam mundus 4000. annos ſubſtitiſſet, quod juxta calculum Voſſianum non eſt verum, venit enim poſtquam Mundus ſex mille annos ſubſtitiſſet, adeoque Cabbalam non implevit, debuiſſet enim adventum ſuum 2000. annis anticipare. Reſpondet

Digitized by Google

ſpondet Voſſius Cabbalę millenarios non debere inchoari à mundi primordiis juxta mentem Judæorum, ſed à mundo novo, ſeu reſtauratione ejus poſt Diluvium, juxta Apoſtol. Petrum in Epiſt. qui mundum veterem diſtinguit à novo. Et per legem de qua in Cabbala, non intelligendum præceptum circumciſionis ſed legem Moſis, ut communiter quando ponitur abſolutè. Interceſſiſſe autem inter Diluvium uſque ad Moſem annos 2000. Item inter Moſen & Chriſtum annos 2000. Adeoque initio facto à Diluvio, Cabbalam eſſe impletam quoad quatuor primos millenarios.

Reſp. Inquirendum hic I. in originem iſtius traditionis ejuſque uſum. II. in ratiocinia Voſſii. I. Exſtat illa in Talm. Cod. Sanhedrim cap. 11. in Gemara hiſce verbis. תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה, שני אלפים ימות המשיח. *Traditio ex ſchola Eliæ: Sex annorum millia erit mundus, duo millia inanitas, duo millia Lex, duo millia dies Meſſiæ.* Hæc traditio vocatur תניא quæ etſi ſit ברייתא ſeu exotica, i. e. ab ipſo R. *Jehuda Sancto in* textu Miſchnæ non comprehenſa, apud *Gemariſtas* tamen iis omnibus quę in textu ſunt æquipollet, adeoque ſummæ authoritatis. Idem Elias ibidem loci dixiſſe fertur: אין העולם פחות משמונים וחמשה יובלות וביובל האחרון בן דוד בא *Non minus ſtabit mundus octoginta quinque Jubilæis, quorum ultimo veniet filius David.* Octoginta Jubilæi ſunt anni 4000. quibus exactis ſi forte Meſſias non venerit, conceduntur ipſi adhuc Jubilęi quinque, i. e. anni 250. quibus adventum ſuum retardare poterat. Neſcire tamen ſe ibidem profitetur Elias an in principio an verò in fine iſtius ultimi Jubilæi eſſet venturus. Non hic quæritur, an Elias iſte fuerit Elias Tiſbites Propheta, qui

qui hic nominetur tanquam autor iſtius vaticinii, an verò Doctor aliquis Judaicus ex cujus ſchola illud veluti per antiquam traditionem (quicunque tandem ejus autor ſit) acceptum prodierit. Neque etiam hac vice quæritur an fuerit vera traditio antiqua, an verò figmentum Talmudiſtarum. Quicquid ſit, potentiſſimum inde argumentum ad hominem ducunt Chriſtiani contra Judæos, Meſſiæ tempora præteriiſſe, Chriſtumque eſſe verum Meſſiam, ſiquidem eo tempore, quo refert vaticinium, quod ſub nomine antiquæ traditionis ipſi obtrudunt poſteris, orbi comparuit. Utut autem vera fuerit traditio, quod tamen de Jubilæis additur, id non partem traditionis fuiſſe, ſed figmentum eſſe Talmudicum inde facile colligitur, quod nugatores iſti traditionis eventu fruſtrati, jam ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo, hoc ſe ſolamine erexerint, nondum omnia Meſſiæ tempora effluxiſſe, ſiquidem exactis 4000. annis adhuc qninque illi Jubilæi ſupererant, quibus juxta mentem iſtius Eliæ Meſſias exſpectari adhuc poterat, at primorum Talmudicorum tempore nondum iſti omnes exſpiraverant. Quod iterum vehementer facit contra Judæos, ſiquidem jam ante multa ſecula iſti quoque Jubilæi effluxere omnes. Quapropter R. Aſche qui inter ultimos Talmudicorum fuit, adeoque iſto ſolatio fruſtratus, ſiquidem poſt Jubileos vixit, menti Eliæ novum gloſſema affingit, quaſi diſcipulo interroganti, an ſub initium an verò ſub finem ultimi Jubilæi venturus eſſet Meſſias? reſponderit עד הכא לא תיסתכי ליה מכאן ואילך תיסתכי ליה *Eouſque* (i.e. ante finem ultimi Jubilæi) *ne exſpectes illum, ab eo verò tempoee exſpecta eum.* adeoq; exſpectare etiamnum ipſis integrum. Sic tempori accommodare norunt iſti homines ſuas Cabbalas.

II. Jam

Digitized by Google

II. Jam ad ratiocinia Voſſii. 1. Poſito ejus calculum eſſe verum, quid Judæi 2000. annorum truncatione fuiſſent lucrati? Equidem durationi mundi duos iſtos millenarios lucrabantur, ne Cabbala, quæ mundum 6000. annis duntaxat ſubſtiturum dixerat, iſta in parte videretur falſa, ſed quid Meſſiæ? cujus tempora jam modò ante centum annos, priuſquam prætenſa iſta corruptio fieret, præterierant, nec aliud ſua corruptione efficere poterant, quam ut ſe coram Chriſtianis proſtituerent, oſtenderentque duos iſtos millenarios quos truncaſſent inchoari in Chriſto adeoque ipſum eſſe Meſſiam juxta tempus à Cabbala deſignatum. 2. Si Voſſii calculus ante corruptionem pro vero agnitus fuit à Judæis, quare non rejecerunt iſtam Cabbalam, utpote quam à 2000. ab illinc annis falſam deprehenderant? annon lex ſcripta certior illis, atque lex Oralis, ut hanc illius gratia in annis corrumpere neceſſe habuerint? Si verò Cabbalæ millenarios à diluvio inchoandos cenſuerunt, cui bono tum corruptio? an propter mundi durationem, ne videretur Cabbala *mentiri in ſex durationis millenariis & non ultra*? an verò propter Meſſiam, ne videretur ipſius modò præteriiſſe? Non illud, quia adhuc duos millenarios habebant in reſiduo. Non hoc, quia Meſſiæ, uti dictum, nihil lucrabantur, præterierant enim ejus anni, ſive numerando in calculo pleno à diluvio, ſi in calculo truncato à primordiis mundi. 3. Rurſus, ſi Voſſii calculus pro genuino fuit agnitus, quomodo dicit? Judæos vidiſſe *tempus adventus Meſſiæ præteriiſſe, quia expleti erant bis mille à creatione mundi*. Vel anni Meſſiæ in iſtis ſex mille erant comprehenſi vel non. Si non erant comprehenſi, quomodo ergo in iis videre poterant eos præteriiſſe? Et quare non potuiſſent

 dicere

dicere cum Judæis modernis ex libro *Peſikta?* Meſſiam redempturum ſuum populum אחר ששת אלפים *poſt ſex annorum millia.* Si erant comprehenſi, iterum rogo ut ante, cui bono corruptio? 4. Neque neceſſe erat ut ex intuitu Cabbalæ propter præteritos Meſſiæ annos quicquam immutarent, præterquam enim quod iſta mutatio cauſam non juvaret, habebant in promptu rationem quare Meſſias debito tempore non veniſſet, quam etiam in Gemara Cabbalæ adjungunt ובעונותינו שרבו, יצאו מהם מה שיצאו *Propter tranſgreſſiones noſtras quæ multiplicatæ ſunt, præterierunt ex iis* (anni) *qui præterierunt.* 5. Imò non tantum Cabbala iſta militat pro Chriſto, ſed & directè Voſſii calculum evertit, nam à principio mundi ad circumciſionem Abrahæ effluxere anni 2000. à circumciſione ad Chriſtum denuo 2000. Adeoque ſi quæ fides Cabbalæ veluti traditioni antiquæ (quare enim Talmudici eam in probrum ſuum confinxiſſent?) hodiernus Hebræorum calculus per eam potenter confirmatur. Fruſtra autem eſt, quod à diluvio iſtos millenarios inchoare velit, bini enim priores fuerunt תוהו i. e. ut R. Salomo exponit שלא נתנה עדין והיה העולם כתוהו *quibus lex nondum fuit data, fuitque mundus veluti inanitas.* A diluvio autem ſi numerentur duo millenarii in calculo Voſſiano incurritur in medium tempus legis. Ipſe enim in Canone Chronologico ponit diluvium ad annum 2256. quibus ſi addas 2000. in mediam hiſtoriam Judicum exporrigitur. Exitum verò ex Ægypto collocat ad annum 3953, unde facta ſupputatione inter diluvium & legem, anni reperiuntur 1697. Quomodo ergo ſuæ Chronologiæ oblitus dicit in Præfatione? *bis mille anni qui Moſen præceſſere non à principio creationis debent numerari ſed à diluvio.* Fruſtra

etiam

Digitized by Google

etiam nomen legis abſolutè ſumptum urget pro lege Moſis, nam vox illa per antitheſin ad תורה quod præceſſit quamlibet legem ex inſtituto à Deo latam denotat apud Rabbinos. Fruſtra & nomen mundi pro mundo novo ſumi vult, nam non quæritur quomodo ſumi poſſit, ſed quomodo autor Cabbalæ ſumpſerit. Is ſi mundum novum indigetaſſet, non potuiſſet תורה duos tribuere millenarios uti jam dictum. Concludimus ergo, nihil ſubeſſe rationis, quare Judæi textus Chronologicos Hebræos corruperint.

Cap. XVIII.

De Chronologia Hebræorum in genere, ac primò de annis pubertatis.

PRima temporis Hebræi criminatio incidit in annos Patriarcharum qui vixerunt ante diluvium ab Adamo uſque ad Noachum, ubi textus accuſatur quod dicat, Adamum generaſſe anno ætatis 130. pro 230. Sethum 105. pro 205. Enoſum 90. pro 190. Kainanem 70. pro 170. *Mahaleleelem* 65. pro 165. Enochum 65. pro 165. *Lamechum* 182. pro 188. Arphaxadum 35. pro 135. Selah 30. pro 130. Heber 34. pro 134. Phaleg. 30. pro 130. Rehu 32. pro 130. Serug 30. pro 132. Nachor 29. pro 120. ut habet Voſſius pag. 264. Præterea, quod integram generationem Cainanis nempe, 130. annorum, *inter* Arphaxadum & Selah, de qua poſtea, omiſerit. Deſiderantur ergo in textu anni 1427. quos ex verſione LXX. Interp. Voſſius vult reſtitui, ut eos novæ ſuæ Chronologiæ lucrifaciat. At quibus mediis probat eos in textu deſiderari? Primò id oſtendit ex annis pubertatis, in quibus ſemper juſta requiritur proportio ad generan-

 dum,

dum, ſic ut ſecundum naturæ leges, ubi vita longa, ibi tardior pubertas. Id eſt, ut quarta demum aut quinta ætatis parte peracta quodlibet animal in ſua ſpecie ſibi ſimile generet. Indeque eſſe ait, quod hodie maturior ſit in homine pubertas quam olim, qui ætas & vita brevior. Iſtam verò proportionem non rectè obſervari in textu quoad annos pubertatis Patriarcharum, quę enim ex. gr. proportio in annis 105. quibus Sethus dicitur generaſſe, ad integram ejus vitam, quæ fuit annorum 912. ubi pubertatis anni ne quidem octavam ætatis partem abſolvunt. Adeoque rectius iſtam proportionem conſtitui in verſione LXX. ubi Setho 205. anni tribuuntur antequam generaret.

Varia huic argumento poſſunt opponi. 1. Præcariò dicitur naturæ legem ad quartam aut quintam ætatis partem adſtringere annos pubertatis. Prout diverſæ ſunt animalium ſpecies, ſic diverſa temperamenta, diverſa climata in quibus degunt: Alia citius in ſua ſpecie generant alia tardius, alia parcius, & longiori intervallo, alia frequentius pro ratione temperamenti & climatis. Non ergo hoc naturæ legi adverſatur, ſi ſtatuamus, corpora etiam longæva conſueto tempore pubeſcere, imò quò γυμναστικώτερα, eò pubeſcere citiùs. 2. Hoc autem ex ſingulari Dei diſpenſatione in primis obtinuiſſe Patriarchis liquet ex benedictione. *Creſcite & multiplicamini.* Unde liquet, Deum longæviorem iſtis viris conceſſiſſe vitam, non ut pubertas eſſet tardior, ſed ut diuturnioribus generationibus impleretur terra. 3. Pone, aliqualem requiri proportionem inter annos pubertatis & vitę, negatur non ſatis juſtam fuiſſe eam quam textus aſſignat, minima enim eſt 65. annorum. 4. Quid quæſo deſiderabatur in annis puber-

pubertatis Adami? Illine tribuendi 230. anni ut generari poſſet Sethum, qui ante tot annos generaverat Cainum & Abelem? 5. Quæ verò ſit vera cauſa iſtius diſcrepantię inter Textum & Verſionem, & quam verſio hac in parte ſit inepta & antiquis Eccleſiæ Doctoribus inviſa, id poſtea ubi de ea agemus, videbitur. Cæterum ad hoc argumentum de annis pubertatis tam ſolidè reſpondit Hornius ut Caſtigator Voſſius non haberet quod ei opponeret.

CAP. XIX.

De teſtimonio ex Bereſchit Rabba.

ASſignatio annorum Adami in ſpecie oppugnatur à teſtimonio ex ipſis Judæorum monumentis petito. Is generaſſe dicitur Sethum anno ætatis 130. quod eſſe nequit, ſi verum ſit quod ajunt Rabbini in Bereſchit Rabba, Adamum poſt cædem Abelis per 130. annos non perſolviſſe conjugi ſuæ jus conjugii. Si ergo 130. ætatis anno generavit Sethum, ſequitur Abelem eodem quo naſcebatur *anno fuiſſe* occiſum quod abſurdum, adeoque *rectius habet* verſio, quę Adamo aſſignat 230. annos cum generaret Sethum. Sic traditio poteſt ſubſiſtere, habuerit enim Abel annos centum cum occideretur, fueritque Seth natus 130. poſt ipſius obitum.

Rectè reſponderat Cl. Hornius: *Iſtud Rabbinorum commentum, quod etiam* LXX. *ſequi videntur, adeo leve eſſe ut refutatione non egeat. Adamum* 130. *ætatis anno genuiſſe Sethum, ſupputando illos annos à creatione non verò à cæde Abelis.* Reſpondet Voſſius in Caſtigat. pag. 313. *Non intelligis, bone vir, vim argumenti, cauſam reddere debueras quomodo fieri potuerit ut in libro antiquiſſimo maximeque apud Judæos*

authoritatis Adam per 130. *annos à conjuge abſtinuiſſe dicatur, antequam Seth naſceretur.*

R. Mala fide agis, Voſſi Argumentum tuum dixerat, juxta teſtimonium ex Bereſchit Rabba 130. annos interceſſiſſe inter cædem Abelis & natalem Sethi, in quo tota ejus vis conſiſtebat. Non ergo Hornio cauſa dicenda erat, quare in libro antiquiſſimo Adam 130. annis à conjuge abſtinuiſſe dicatur. Sed tibi probandum erat, 130. annos interceſſiſſe inter cædem Abelis & natalem Sethi. Hoc in iſto libro non invenies. Noli enim putare, Judęos, utut ſint ineptiſſimi fabulatores, uſque adeo ineptire ut textui ſacro tam apertè contradicant. Unde conjicio, te Bereſchit Rabba vel nunquam inſpexiſſe, vel ſi inſpexiſti, non intellexiſſe, eſt enim ſtilus myſticus & valde difficilis. Saltem iſtam gloſſam ex tuo cerebro ei aſſuiſſe, niſi forte alius, qui te decepit, eam tibi ſuppeditaverit. Verba ejus fol. 28. Edit. Amſterd. hæc ſunt. כל ק״ל שנה פרש׳ חוה, מאדם *Totis* 130. *annis ſeparata fuit Eva ab Adamo.* Non hic dicitur iſtos annos interceſſiſſe inter cædem Abelis & nativitatem Sethi. Luculenter hoc oſtendit R. *Bechai*, qui fabulam ex Bereſchut Rabba Comment. in Gen. reſumit, tuamque Gloſſam confodit. פרישתו מן האשה ק״ל שנה מיום שנברא היה לסבה כי הוצרך זמן בזה עד שיולדו ממנו וממנה הראוים להולד אלו הן רוחין ושדין ולילין וכמו שדרשו כל אותן ק״ל שנה שפירש אדם מן האשה רוחות היו מתחממים מאדם ויולדות זכרים ורוחות זכרים היו מתחממין מן האשה ויולדים נקבות. *Separatio Adami à muliere inde à tempore creationis per* 130. *Annos ea de cauſa facta eſt, ut interea ex iis generarentur qui adhuc generari debebant, nempe ſpiritus & omnis generis dæmones. Iſtis enim* 130. *annis quibus Adam*

Adam fuit ſeparatus à muliere, dæmones fœminæ conceptæ ſunt ex viſceribus Adami, quæ pepererunt mares, ex viſceribus mulieris dæmones mares, qui genuerunt fœminas. Viden' quod R. Bechai iſtos 130. annos inchoat non à cæde Abelis ſed à tempore creationis, & ſic totum tuum argumentum concidit.

Sed quid ſi Hornius te roget cauſam, quam tu ab ipſo exquiris, *quare Adam per* 130. *annos à conjuge abſtinuiſſe dicatur?* quid reſponderes? Dicam, ſi neſcis, etſi ex ſuperabundanti, nam argumento ſatisfactum eſt. Textus Gen. 5.3. ſic habet: *Adam* 130. *annorum genuit filium ad ſuam imaginem & ſimilitudinem quem vocavit Seth.* Hic locus olim in Talmudicorum cerebro excluſit aliquam Medraſch, nempe Adamum nunquam generaſſe filium ad ſuum imaginem niſi cum anno ætatis 130. generaret Sethum. Habetur hoc apud hodiernos Rabbinos inſtar Cabbalæ, ita ut nemo de ejus veritate dubitare audeat. Roges, annon ergo Cain & Abel erant geniti ad ejus imaginem? Solvit myſterium *Don Abarbenel* Comm. in Gen. qui dicit, Adamum (*verba ejus* Hebraica exſcribere non vacat, longa enim eſt narratio) poſtquam prima vice cognoviſſet Evam, quæ gemellos Cainum & Abelem conceperit, à coitu deinceps abhorruiſſe, quod crederet iſtum veneris ſtimulum ſibi à muliere fuiſſe afflatum per eſum fructus vetiti, à muliere communicati, qui ejectionis ex Paradiſo cauſa fuiſſet. Adeoque per 130. annos ab ea abſtinuiſſe, imò prorſus eam deſeruiſſe, donec tandem ab uxoribus Lamechi iſto nomine reprehenſus, ac inſuper agnoſcens, ſe occiſo Abele & expulſo Caino, omni prole fore deſtitutum, niſi liberis operam daret, novis cum Eva contractis ſponſalibus, ſecunda vice eam cognoſceret, ac tum demum

Digitized by Google

demum mente bene compoſita, ad ſuam imaginem generaſſe filium Sethum, qui nempe ſuos ſequeretur mores, & animum ad opera pietatis & virtutis applicaret, poſtquam binos priores Cainum & Abelem, non ad ſuam ſed Evæ imaginem procreaſſet, utpote qui mulieris mores imitando carnali appetitui dediti, ſecularia duntaxat bona greges & agrorum proventus ſectarentur. Ac inde eſſe, quod Scriptura dicat de Sethi & Enoſi tempore: *Tum cœptum eſt invocari nomen Dei.* Vide mi Voſſi, quantum Rabbinorum ſomnia à tuo diſtent de 130. annis inter cædem Abelis & nativitatem Sethi.

CAP. XX.

De teſtimoniis Exoticis, Pentateucho Samaritano, Joſepho, Verſione Syriaca, Paraphraſibus Chaldaicis.

EA excutere inſtituti mei non eſt. Neque hac vice neceſſarium, ſiquidem negotium nobis cum homine Chriſtiano, quo cum ex principiis internis & argumentis artificialibus pugnaſſe ſufficit Theologo. Varias (præter verſionem LXX. de qua poſtea) pro ſe allegat authoritates Voſſius tam Ethnicas quam Chriſtianas, & Judaicas. Ex Chriſtianis eos omnes citat qui ſequuntur LXX. Interp. Ex Judæis habet Joſephum qui ex eodem fonte bibit. Ex Ethnicis annales Sinenſium, Chaldæorum, Ægyptiorum, quibus adjungit Pentateuchum Samaritanum, ſemi-Ethnicum, & ſemi-Judaicum. Omnes iſti in textum ſacrum inſurgunt, ſed minus periculoſi hoſtes, utpote qui ſe ipſos mutuis vulneribus confodiunt. De duobus, Pentateucho illo Samaritano & Joſepho dicendum primò, tum & de oppoſita iis Verſione Syriaca & Paraphraſi Chaldaica.

De,

Digitized by Google

De *Pentateucho Samaritarum* dicit pag. 28. *Quandoquidem licitum eſſe ajunt ex vetuſtis Hebraïs codicibus emendare hodiernos, cur ergo non patiuntur ut medicina fiat ex vetuſtiſſimis Hebraïs exemplaribus quibus Samaritæ utuntur.* R. 1. Per vetuſtos Hebræorum codices ſolos Maſoreticos intelligimus. Non quod non liceat & aliis uti, ſi qui ex profunda iſta antiquitate aliqui ſuperſint quos non viderint Maſoretæ, in iiſque ad eorum normam facta collatione inſtituere emendationem. Sed quia non ſit veriſimile primorum Maſoretarum ætate vetuſtiores ad manus noſtras perventuros, ſufficiunt nobis eorum quos ipſi recenſuerunt apographa, ad quæ verſiones omnes exigimus. 2. Hinc facile liquet quare tam exigua fuerit Samaritani codicis authoritas in Eccleſia veteri, nec valdè magnam mereatur apud nos. Triplex ejus eſt ratio. Prima, quia Samaritæ non fuerunt Dei librarii, ſed ſolis Judæis concredita fuerunt Dei eloquia. Neque ad Samaritanum codicem ablegavit Chriſtus ſuos auditores quando dixit *ſcrutamini Scripturas*, ſed ad Judaicum, nam ex Judæis ſalus eſt, Joh. 4. & *verbum Dei* ex Judæis Eſai. 2. 3. Secunda. Codex iſte curis Maſoreticis nunquam fuit ſubjectus, nec ullum ejus à tempore Jeroboami vel ſaltem abductionis 10. tribuum concinnatum fuit apographum à manu alicujus *Prophetæ* ſeu viri θεοπνεύστου, unde non poteſt eſſe non corruptiſſimus. Non dico ſtudio ab hæreticis eſſe corruptum quod ſuſpicantur plerique ſed ex tot ſeculorum incuria. *Tertia.* Hodierna ejus apographa variis modis ſunt interpolata, & plerunq; ſequuntur errores verſionis LXX. Meritò ergo rejiciuntur, utique codicis authentici exemplaribus minimè annumeranda. 3. Si ex iſto pentateucho fiat emendatio, tota Voſſii fabrica Chronologica ſubverteretur,

teretur, nec enim Cainanem iſte codex agnoſcit nec lucrum illud *606*. annorum ante diluvium. Unde miror, velle hominem nobis commendare codicem quem novit partibus ſuis non favere. Quæ porrò de characteribus Samaritanis habet cap. *29*. ea nobis non adverſantur.

De *Joſepho* meritò dixit Hornius non eſſe laborandum, ſiquidem LXX. ſecutus æque Chronologiam ſacram perturbat ac illi. Imò Hebraicæ linguæ fuiſſe imperitum. Indignè hoc fert Voſſius p. 315. *Ullumne majus inſcitiæ & impudentiæ exemplum poſſit excogitari, quam id quod hic denuo oſtendere conatur Joſephum neſciviſſe linguam patriam.* R. 1. Quare ſic non excandeſcis contra Cappellum, cujus opus criticum tanta facis? *Nec mihi quis objiciat*, ait ille pag. 571. *Philonem aut Joſephum qui in Hebraica lingua infantes plane fuerunt, ſi modo quid omnino Hebraicè ſciviſſe dicendi ſunt, adeo frequenter turpiſſimè in originationibus Hebraicis hallucinantur & impingunt, ut cæci in tenebris.* 2. Hanc tamen ego litem non facio meam, perinde enim mihi utrum Joſephus Hebraicè ſciverit nec ne, ſufficit demonſtraſſe ejus calculum eſſe vitioſum in quantum repugnat textu S. Unum tamen aut alterum ſpecimen iſtius inſcitiæ, à Voſſio refutatum placet reſumere. Nomen Abel Joſephus *luctum* interpretatur quaſi ab אבל. At in Hebræo eſt הבל quod *vanitatem* notat. Reſpondet Voſſius, Hornium *debuiſſe oſtendere, uti nunc ita quoque olim ſcriptum fuiſſe in Hebræo exemplari.* R. 1. Frivolum hoc eſt. Ipſius potius erat oſtendere ita olim non fuiſſe ſcriptum in Hebræo uti nunc eſt quia textum originalem oppugnat, qui non poteſt convinci niſi ex internis principiis. 2. Olim in Hebræo ita fuiſſe ſcriptum uti nunc eſt, hoc argumento conſtat. Nomen illud vel data opera vel ex incuria fuiſſet mutatum,

Digitized by Google

at neutrum verum, ergo non fuit aliter ſcriptum. Minor patet. *Si data opera*, cui bono? Quid juvabat Judæos à vanitate potius vocari Abelem quam à luctu? Non ex incuria, nam ſi hoc eſſet, non eſſet conſtans ejus ſcriptio in octo locis, quibus occurrit, & Maſora id obſervaſſet: 3. Non opus Oedipo ad divinandum quid Joſephum deceperit. Legit is nomen Ἄϐελ in verſione quam ſequebatur quod Hebraice ſcriptum & pronunciatum *lugentem* ſignificat. Poſſit ergo eſſe ipſum Hebraicè fuiſſe peritum, at certè non poteſt excuſari ejus ſupinitas quod textum non inſpexerit antequam nomen hoc interpretari præſumeret. Nomen שמשון *Simſon* interpretatur *fortitudinem*. At שמש ſolem denotat. Excuſat Voſſius, ac vult nomen eſſe compoſitum ex שמש & און *robur* eliſo א. Et ſic *ſolem fortitudinis* denotat. R. 1. Etymologiæ non in cerebro ſunt fabricandæ ſed ſecundum analogiam Grammaticam demonſtrandæ. Debuiſſet aliquo exemplo oſtendere ubi terminatio ון eſſet ex literis radicalibus in voce compoſita, cum eliſione radicalis primæ. Tale exemplum non *memini me obſervaſſe*, neque ſic ſolent Hebræi ἐτυμολογίζειν. Econtrà שמשון non agnoſcit niſi unam radicalem, eſtque nomen *heemanticum* formæ communiſſimæ, ut בזיון, צמאון, זכרון, בטחון & multa alia, ubi ון eſt terminatio *heemantica*. Et hanc formam multa ſequuntur nomina *propria*. 2. Si Voſſiana interpretatio locum habet, שמעון *Simeon* erit *auditio fortitudinis*. שלמון Salmon *pax fortitudinis*. נחשון Nachſchon *incantatio* vel *ſerpens fortitudinis* חשבון Cheſchbon *cogitatio fortitudinis*. Quæ omnia ſunt inepta. Nomen זבולון *Zabulon* interpretatur *oppigneratum*. Reprehendit hoc Hornius, & meritò, nam nomen hoc derivatur זבל *habitare*, heemanticè ut ſupra. Re-

ſpondet ipſi Voſſius: *Iterum falleris. Zabulon non eſt dictus a* זבל *ſed à* זה חבל *hic oppigneratus.* R. 1. Quæ hæc levitas? Tibi-ne perinde, Voſſi, quid & quomodo reſpondeas modò reſpondeas? Annon apertè vides, ipſam ſcripturam derivare Zabulon a זבל. Sic enim legitur Gen. 30. 20. הפעם יזבלני אישי ותקרא את שמו זבלון *Hac vice mecum habitabit vir meus & vocavit nomen ejus Zabulon.* 2. Ubi quæſo vidiſti nomina propria componi ex pronominibus, & quidem cum eliſione literæ radicalis in qua præcipua originationis ratio conſiſtit, imò ita radicalis ut nunquam poſſit eſſe ſervilis nec unquam elidi, quæ eſt litera ה. Nunquam poſſes magis proſtituere tuam audaciam. Sed de iſtis ſatis.

Teſtimoniis exoticis quæ ſtant à parte Verſionis LXX. D. Hornius oppoſuit Verſionem Syriacam & Paraphraſin Chaldaicam. De priori ait Voſſius: *Antiquiora quidem hujus tranſlationis exemplaria expreſſa eſſe ex Græco, exinde liquet, quod illa exhibeant obeliſcos & aſteriſcos Origenis.* R. At Cl. Waltonus in Proleg. ad Polyglotta illuſtribus teſtimoniis diſtinguit inter Verſionem Syriacam antiquam à viris Apoſtolicis ex fontibus Hebræis Veteris & Græcis N. T. confectam & recentiorem ex LXX. expreſſam, quæ tam facilè non poſſunt eludi. Imò ipſa diſcrepantia iſtius Verſionis à LXX. luculenter oſtendit non eſſe tranſlationem ex tranſlatione ſed ex textu originali. Objicit pag. 89. Diverſa vocabula Græca quæ in Verſione Syriaca occurrunt, ut Gen. 3. 7. פרוזמא περίζωμα, &c. unde colligit, eam eſſe factam ex Græca. R. Inde non poteſt concludi non fuiſſe antiquam Syriacam ex textu originali, nam 1. Dialectis Syriacæ & Chaldaicæ temporibus Apoſtolicis familiare erat, ut ex lingua Græca,

in

in multas gentes tum diffuſa, & ex ubere ſuo cornucopiæ exprimendis conceptibus convenientiſſima nonnunquam mutuarentur idiotiſmos, qui in utroque Talmude & in Targumim paſſim obviam. 2. Tum & aliqua pro Græcis venditat Voſſius quæ origine ſua ſunt Hebraica, indeq; in Græciſmum tranſlata, ut τὸ כותניתא Gen. 3. 21. quod putat à Greco χιτὼν mutuatum, ſed potius eſt ab Hebræo כתנות. Exiſtimo quidem apographa quæ in Polyglottis ſub antiquæ verſionis titulo exhibentur ex recentiori fuiſſe interpolata, ſed tamen quatenus cum textu Hebræo melius conveniunt, verſioni τῶν LXX. præferenda.

De Paraphraſibus Chaldaicis Jonathanis & Onkeloſi in Geneſin ait: *nullam earum eſſe quæ mille annis non ſit recentior. Jonathanem ſcatere deliriis, & mentionem facere libri Miſnæ, Lombardiæ, & Conſtantinopolos. Onkeloſum Hieronymo recentiorem inde conſtare quod nec Hieronymus nec ullus alius ſive Chriſtianus ſive Judæus qui non aliquot ſeculis Hieronymo fuerit recentior, iſtius paraphraſeos mentionem faciat.* Addit pag. 302. *Vti autem non nimium recens eſſe poteſt* (Onkeloſi paraphraſis) *utpote cujus meminerint Talmudici ſcriptores, iique ſatis antiqui, ita neque valdè vetuſta eſſe poteſt, cum nec Origenes nec Hieronymus nec ullus vel Græcus vel Barbarus, qui quidem annis 1000. non ſit recentior, ullam unquam hujus paraphraſeos mentionem fecerit. Concludamus igitur paraphraſtes & interpretes omnes Chaldæos non niſi ſexto poſt Chriſtum ſeculo aut ſerius floruiſſe.* R. 1. Sibi & hiſtoriæ contradicit. Talmudici tertio & quarto ſeculo floruerunt, nam quinto totum Talmud ad finem perductum fuit. Quomodo ergo dicit, Talmudicos & quidem antiquos Onkeloſi paraphraſeos mentionem facere, ſi ipſe non niſi ſexto poſt Chriſtum ſeculo aut ſerius floruit? Scripſitne

paraphraſin homo duobus aut tribus ſeculis antequam eſſet in mundo? 2. Verum equidem eſt, quę de antiquitate iſtorum virorum Onkeloſi & Jonathanis dicuntur, quod nempe σύγχρονοι fuerint & ante Chriſti adventum vixerint, ex ſolis Judæorum ſcriptis haberi. Sed quibus rationibus eorum hiſtoriam falſitatis coarguemus? Quod nulla paraphraſium fiat mentio in ſcriptis patrum id nimis leve ad probandum quod iis ſint poſteriores. Quotus enim quiſque patrum in Hebraicis ita verſatus fuit, ut præter textum Hebræum, etiam Targumim conſulere potuerint, & ſi potuiſſent, omnibus tamen præferebant verſionem LXX, à quo non niſi ad textum originalem provocabant. 3. Ut autem Onkelos cum Aquila, Pontico, interprete Græco confundatur, ipſe Voſſius non patitur, ſiquidem verſiones eorum maxime differunt. Vixit autem Aquilas tempore Adriani Imperatoris circa an. 130. vel ergo recentior fuit Onkelos vel antiquior. Recentiorem fuiſſe non ſinit ſumma authoritas in qua ejus Paraphraſis ſemper fuit apud Judæos, ergo antiquior. 4. Jonathanis paraphraſin in Prophetas diſtinguimus ab ejus paraphraſi in Pentateuchum. Hæc etſi diu latuit, & à recentioribus exſcriptoribus interpolata fuit, non tamen poteſt inde concludi, non eſſe ipſius. Sed in omnibus iſtis quoad noſtram controverſiam parum momenti ſitum.

CAP. XXI.

De Chronologia Patrum.

PRæter teſtimonia exotica militat etiam contra calculum Hebræorum Chronologia Eccleſiæ veteris, ut in Chronico Euſebii videre eſt, ubi anni ab origine mundi ſub-

ſubducuntur juxta verſionem LXX. longumque texit Catalogum Baronius Latinorum Græcorumque Patrum qui eandem conſtanter ſint ſecuti. Imo non tantum ex LXX. Interpretibus iſtam ſupputandi rationem ſed & ab ipſis Hebræis ortam per ethnicorum manus dimanaſſe in Eccleſiam probari poſſe videtur. Tradit enim Euſebius ex Alexandro Polyhiſtore, iſteque ex Demetrio antiquiſſimis ſcriptoribus, Judæos ab Adamo uſque ad migrationem Jacobi in Ægyptum numerare annos 3624. qui calculus factus eſt ſecundum ſupputationem LXX. unde proclive concludere, Judæos tum habuiſſe codices Hebræos ex quibus iſti ſcriptores ethnici hanc annorum ſupputationem didicerint, & tali quoque codice uſos fuiſſe LXX. à quo poſteriora Hebræorum apographa receſſerint. Accedit ratio alia, quod nempe juxta hodiernos Hebræos codices 100. duntaxat anni interceſſerit inter diluvium & diſperſionem gentium, quod ſpatium nimis videtur anguſtum quam ut eo tanta hominum multitudo etſi cucurbitarum inter pullulaſſe dicantur ut ait Voſſius tot regnis fundandis ſufficiens naſci potuerit. Cui difficultati calculus LXX. qui tempus illud inter Diluvium & Phalegum in plura ſecula extrahit, medetur.

R. 1. Nihil ponderis habet hæc Patrum Chronologia, ſimpliciter enim ſequebantur verſionem LXX. quæ tantæ authoritatis apud eos erat ut textum authenticum Hebræum vix unquam inſpicerent, nec mirum, pleriq; enim eum non intelligebant. Hoc vel inde patet, quod etiam verſionis errores, quibus miſerè quandoque torquebantur, abſque ulteriore veritatis indagatione, pro ſincero Dei verbo amplecterentur. Exemplo ſit Methuſalem qui juxta calculum LXX. receptiſſimæ tum editionis 12. aut 14. an-

Digitized by Google

14. annis poſt Diluvium vixiſſe deprehendebatur. Id quidem mirificè eos torſit, ſed tamen ut verum credebatur, uſque adeo ut *Syncellus* qui vixit tempore Caroli M. dixerit: *His*, Metuſalem, *ſecundum omnes qui ubique feruntur Geneſeos codices annis* 15. *Diluvium ſupergreſſus eſt, ita ut quis locus Diluvii tempore illum ſervavit, incertum ſit.* Et poſt: *Annis ſupervixit* 15., *ſiquidem veras eſſe credimus quæ de eo & patribus ejus in ſacris feruntur paginis, incorruptas & divinitus inſpiratas hiſtorias.* Ideo Ambroſius Metuſalem cum Chriſto comparat, quod ſicut vita Chriſti nullam ſentit ætatem, ſic nec ille diluvia. Et Auguſtinus quæſtionem iſtam de ſuperſtite Metuſala poſt Diluvium vocat *famoſiſſimam*, in qua multi ingenii ſui acumen exercuerunt, quam tamen momento ſolvere potuiſſent, ſi vel leviter Hebræum textum inſpexiſſent. Qui tam durum bolum valido ſtomacho digerere potuerunt, quid illi non de Chronologia crediderint? 2. Patribus illis omnibus opponimus Auguſtinum & Hieronymum omnium Patrum perſpicaciſſimos qui etſi receptum calculum ſequerentur, quod in eo non verteretur cardo ſalutis, apertè tamen corruptionis arguunt verſionem pravę iſtius Chronologiæ fontem. Quin & Auguſtinus duos innuit rationes, quæ cauſa iſtius corruptionis eſſe potuerint, quod nempe vel interpres ipſe vel verſionis aliquis interpolator (quod mirum videri non debet, cum tam multa in ea depredantur luxata, depravata, tranſpoſita, addita) ſibi imaginatus fuerit, loqui Moſen de annis non ſolaribus ſed lunaribus, quorum 130. vix undecim ſolares efficiunt, adeoque ne Adam vel alius quis ex Patribus tam juvenis generaſſe videretur, centum addendos duxerit. Vel ſi de annis ſolaribus loquitur iſta ætate pubertatis

annos

Digitized by Google

annos nondum impletos ſomniaverit ad proportionem totius vitæ quæ admodum longæva erat, quod nobis ſupra pro argumento oppoſuit Voſſius. Videatur de his Cl. Cappellus in Chronologia. 3. Quod de ethnicorum relatione dicitur, vanum eſt, cadit enim iſta ſpeculatio ſi concedamus Chronologiæ corruptionem ante Chriſti tempora invaſiſſe verſionem. Probandum verò fuerat ad demonſtrandam Hebræorum codicum varietatem ethnicos exſtitiſſe autores ante tempora LXX, qui eandem quam LXX exhibent annorum deſignationem & calculum Judæis attribuerint. 4. Circa tempus diſperſionis nihil difficultatis eſt. Falſum eſt, textum Hebræum adſtruere, 100. duntaxat annos à Diluvio ad eam uſque effluxiſſe, ſed dicit eam contigiſſe *in diebus Phaleg*. Vixit autem *Phaleg* annos 239. An in ejus ætate media contigerit diſperſio, an in vitæ fine, non definitur. Voluit providentia Dei ut nomen iſtud *Phaleg* in genealogia Patriarcharum ſymbolum exſtaret perpetuum diviſionis terræ & linguarum, adeoque per donum Propheticum fuiſſe inditum, uti & *Noachi*, omninò ſtatuendum. Toto autem iſto tempore tanta facile hominum multitudo naſci potuit, qui diverſis regnis fundandis materies eſſent, ut inſtar cucurbitarum pullulare neceſſe non habuerint. Iniquum ergo eſt textui originali qui ſibi per omnia conſtat, in quo per interna media nulla deprehenditur abſurditas, nulla codicum varietas, velle æquare imo anteferre æmulam verſionem cujus editiones ſibi non conſtant (ut in annis *Metuſalæ* oſtendit Auguſtinus) variaſque implicant abſurditates. Idque nullo alio fundamento quam quod tot Chronologi (qui nec ipſi ſibi conſtant) & Patres in errorem inducti eam ſecuti ſint.

CAP. XXII.

De Cainane.

QUin & hic receptæ apud veteres Chronologiæ partem conſtituere pretenditur, etſi eum tanquam ignotum hoſpitem præſtantiſſimi veterum Chronologi exturbarint. Copioſè multa à viris doctis de eo ſcripta ſunt, imprimis à duobus ſummis Theologis, *Vſſerio Armachano*, abſtruſiſſimæ antiquitatis eruderatore diligentiſſimo, & *Friderico Spanhemio* in dubiis Euang. Tanta autem hic eſt teſtium & codicum varietas, ut niſi B. Lucæ obſtaret authoritas, quæſtio iſta jam dudum ſecundum Hebræum textum de plano fuiſſet deciſa, iſteque Cainan ad Sauromatas uſque & glacialem Oceanum ablegatus. Primò itaque ſententiam quam ſequendam arbitror paucis enarrabo, quam deinde rationibus confirmatam dabimus, ſimulque quid iis opponat Voſſius, examinabimus.

Primò, veram ſententiam juxta meam methodum, quam in argumento primo proſagogico exhibui, hoc modo propono. Fateor Cainanem vel in Moſe malè omiſſum, vel in Luca malè adjectum. Quid ergo? Adhibeo paralleliam & inquiro, annon dentur loci alii cum quibus iſti poſſint conferri. Invenio & quidem binos. Moſes eandem genealogiam repetens Geneſ. 11. 42. iſtum Cainanem ſecunda vice omittit. Eadem repetitio fit 1 Chron. 1. 18. ubi ſimiliter omittitur. Jam verò concedit Voſſius, ex *incogitantia librariorum eſſe omiſſum* pag. 259. ergo non ex malitia (quomodo autem hoc conveniat cum Præfatione quę dicit: *ut lucrarentur annos bis mille tota quatuordecim ſecula è codicibus ſuis expunxerunt* Judæi, in quibus ætas Cainanis comprehenditur, ipſe viderit.)

Hinc

Hinc concludo: Si iſte Cainan eſſe γνήσιος, ſaltem in uno iſtorum locorum fuiſſet expreſſus. Contingere enim vix potuit, ut librarii incogitantia in locis tam diſſitis præciſè ſemper in iſtud nomen inciderit. Imò ſi uno in codice contigerit, ſaltem id in omnibus contingere non potuit, ut ne unus quidem ad Maſoretarum manus pervenerit qui iſtam negligentiam obſervarint. Ergo, inquam, in Luca eſt ἐπεισαγμένος. Sed annon ſic proculcatur authoritas Evangeliſtæ? Nulla ratione, Lucas enim iſtius additionis autor non eſt, ſed alius quis iſtud nomen in textum Lucæ infarſit, ſive per oſcitantiam ſive ex corrupta verſione Græca, ſive primò ſive ſecundò, id jam perinde. Id eſt. Siquidem iſta corruptela in Luca valdè vetuſta eſt, nam in omnibus hactenus viſis exemplaribus Græcis N. T. reperitur excepto MS. Bezæ tum & verſio Syriaca N. T. iſtum Cainanem agnoſcit, ſive ipſe tranſlator tum modo eum in Luca invenerit, ſive poſtmodum ab exſcriptoribus fuerit intruſus, ſaltem primo vel ſecundo ſeculo cum adhuc pauca exſtarent exemplaria eum *Lucæ fuiſſe ſuppoſitum* omninò veriſimile. Adeoque vix *dici poteſt*, an primò per oſcitantiam ex occaſione Cainanis γνησίου ante-diluviani bis ſcripti irrepſerit in Lucam, indeque in LXX. data opera fuerit transfuſus, ut eſſet conformitas inter Moſen & Lucam, an verò primò irrepſerit in LXX. indeque transfuſio in Lucam. Si autem verum eſt quod narrat Euſeb. de *præpar. Evang.* lib. 9. cap. 4. poſterius eſt veriſimilius. Citat is *Alexandrum Polyhiſtorem* de rebus Judaicis agentem, qui ab Adamo uſque ad migrationem Jacobi in Ægyptum numerat annos 3624. qui calculus factus eſt ſecundum ſupputationem τῶν LXX. incluſis annis 130. iſtius Cainanis. Floruit autem iſte Alexan-

 der

der annis circiter 80. ante Chriſtum, unde concludi poſſit tum temporis modò LXX. agnoviſſe Çainanem, indeque poſtmodum ex ταυζωλίᾳ in Lucam fuiſſe tranſlatum. Hæc mea eſt ſententia, quam à viris doctiſſimis mihi ſuppeditatam, eorum qui me doctiores ſunt, judicio ſubmitto. Interim recedo 1. ab iis qui Cainanem dicunt γνήσιον, à Moſe quondam additum ſed à Judæis per incogitantiam neglectum, in qua opinione eſt Voſſius. 2. Ab iis qui ſimiliter γνήσιον contendunt, ſed tamen ab ipſo Moſe certis de cauſis non additum, poſtmodum verò à Spiritu S. τοῖς LXX. inſpiratum. 3. Ab iis qui eum agnoſcunt ὑποβολιμαῖον, ſed tamen, ab ipſo Luca certis de cauſis ſtudio reſervatum. Omnium rationes accuratè ponderat, ac doctè refutat Cl. Spanhemius in Dubiis.

Secundò. Rationes quibus confirmatur noſtra ſententia hæ ſunt. 1. *Conſtantia* textus Hebræi, cui adhęrendum. Non ideo, inquam, hac vice adhærendum quia eſt textus originalis & θεόπνευςος, nam & Lucæ textus talis eſt, ſed quia in tribus locis ſibi conſtat, in Luca verò locus unicus eſt. Proclivius eſt eundem numero errorem in unum locum irrepere quam in tres ſimul. Prout ergo textus omnibus prævalet verſionibus aliiſque teſtimoniis quatenus eſt originalis, etiamſi omnes unanimiter eum oppugnarent, quod tamen non faciunt, ſic hac in parte vi paralleliæ, quatenus nempe ſibi conſtat, prævalet etiam textui Lucę quoad errorem non à Luca ſed ab aliis commiſſum. Neque poteſt hæc ratio ulla machina everti, adeoque ea ſola vincimus, niſi ſtatuatur, non ex incogitantia excidiſſe Cainanem, ſed per fraudem à Judæis fuiſſe eraſum. Verùm prius jam largitus eſt Voſſius.

2. *Inconſtantia* verſionis LXX. quæ demonſtratur 1. In

genere

genere à teſtimonio *Hieronymi Præf. in lib. Paral. Alexandria*, inquit, *& Ægyptus in* LXX. *ſuis Heſychium laudat autorem, Conſtantinopolis uſque in Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Media inter has Provincias Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius vulgaverat, totuſque orbis in has treſaria varietate compugnat.* Ergo non tantum diverſitas erat in codicibus ſed & ad pugnam uſque, cujus cauſa erat contrarietas. Adeoque utut etiam in Cainane conſenſerunt, abſolutam fidem mereri non poterant. 2. Sed nec in Cainane conſentiunt, nam Codex Sixtinus 1. Chron. 1. 18. liberis legitimns enumerandis intentus, ſui ſpurii Cainanis quem in Moſe agnoſcit oblitus eſt, etſi MS. Alexandrinum eum iterum adoptet, turpius quippe ejicitur quam non admittitur hoſpes. 3. Cainanem olim in κοινῇ Græca pro ſuperfluo fuiſſe habitum, probatur ex *Hieronymo & Procopio Gazæo*. Hieron. *Epiſt. ad Chrom.* dicit, Origenem in vulgatâ editione miſcuiſſe verſionem Theodotionis & virgulis deſignaſſe quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita. Id Procopius ad Cainanem applicans Cap. 11. in Gen. *Hebraica veritas*, inquit, *habet* Selam genitum eſſe ab Arphaxad. *Quæ deinde in medio ponuntur* (nempe de Cainane) *obeliſco ſignata viſuntur.* Ergo iſta erant ex ſuperfluo, quæ in Hebræo codice, nec in Theodotionis verſione reperiebantur. Voſſius autem hoc Procopii teſtimonium pro ſe citat. *Cainanem illum*, ait, *fuiſſe in illo 70. Interp. codice, quem operi ſuo inſeruit Origenes, locupletiſſimus teſtis eſt Gazæus Procopius, qui obelos & aſteriſcos omnes Origenianos, hoc eſt, diſcrepantias Hebraicorum & Græcanicorum exemplarium collegit. Is itaque affirmat locum* LXX. *Interpretum de Cainane obelo fuiſſe notatum.* R. At dicit Hieronymus, Origenem obelo no-

 taſſe

Digitized by Google

taſſe ſuperflua, vel ergo Cainanem pro ſuperfluo agnovit Origenes, vel non agnovit. Si prius, non habuit verſionem in iſta additione pro ſincera. Si poſterius, non debuiſſet κωλίζειν. Et hæc etiam fuit mens Procopii, qui emphaticè dicit, quod *Hebraica veritas* iſtum ὀβελισμένον non agnoſcat. Ne quis autem miretur, interpolatorum audaciam in infarciendo Cainane, qui integros verſus inſerere non dubitarunt, ut in Pſalmo illo 14. quos non tantum genuinus ille codex τῶν LXX. de quo Hieronymus, ſed & MS. illud Alexandrinum, quod tantopere crepat Voſſius, non agnoſcit. Quin & tertium Cainanem filium Sem, fratrem Arphaxad nobis offert codex Sixtinus Gen. 10. 22. Videtur quaſi velle inſultare textui Hebræo ſuis Cainanibus. Objicit tamen locum ſupra à nobis ex Euſebio citatum ubi Demetrius τῶν LXX. fermè σύγχρονος hiſtoriæ Judaicæ calculum conficit juxta annos nunc in LXX. aſſignatos, unde concludit Cainanam ipſis LXX. fuiſſe agnitum. R. 1. Parum refert, utrum agnoverint, ſed quæritur, an agnoſcere eum debuerint. Qui enim tam libero interpretandi genere utebantur, ut fatetur Cl. Waltonus, poterant etiam addere quod addere non debebant. 2. Verùm nec Alexander Polyhiſtor, nec Demetrius teſtantur iſtius additionis fuiſſe autores LXX. ſed mentionem duntaxat faciunt Chronologiæ, quam ſui temporis verſio Græca exhibebat.

3. *Teſtimonia* aliorum Beroſi, Joſephi, Africani, Euſebii, Theophili Antiocheni, Origenis, Textus Samaritici, qui omnes Cainanem ignorant. De *Beroſo* primò dicendum, cui adjungitur locus ex Origene in Ioh. qui dicit *Abraham à primo homine viceſimus natus eſt, decem enim generationes ſunt ab Adamo uſque ad Noë, & decem à Noë ad Abra-*

Abraham. Idem ante eum dixerat Beroſus, nempe Abrahamum fuiſſe decimum poſt Diluvium. Non eſt dubium qui in prima decade numerentur ipſe Adam & Noë, ſic ut Adam dicatur γενεὰ prima, & Noë decima, nam octo duntaxat ſunt intermediæ, Seth, Enos, Cainan, Mahalaleel, Iared, Enoch, Metuſala, Lamech. Pari ratione poſt Noë numerandæ ſunt decem incluſo Abrahamo, ſicut ante incluſo Noë. Hic verò ſi Cainan poſtdiluvianus haberet locum, Abraham non eſſet decima ſed undecima generatio. Eludere hoc conatur Voſſius dum per γενεὰν non intelligit perſonam generantem aut generatam ſed tempus fluens inter generantem & generatum. Sic ab Adamo ad Sethum fuerit prima generatio, à Setho ad Enoſum ſecunda, &c. à Noë ad Sem decima, à Sem ad Arphaxat undecima, ab Arphaxat ad Cainan duodecima, &c. à Thare à Abraham vigeſimam. Sed miſerum hoc effugium ex ipſis verbis Origenis confutatur. Is enim dicit, Ἀβραὰμ εἰκοστὸς γεγόνεν, *Abraham viceſimus natus eſt*, quod intelligitur non de tempore quod interceſſit *inter Thare* & Abraham, ſed de ipſo Abrahamo nato *incluſivè.* Tum ſi γενεὰ eſt tempus fluens inter generantem & generatum, quomodo invenientur decem generationes ab Adamo uſque ad Noë, ubi tantum novem ſunt intervalla? Et tamen dicit ſuam Arithmeticam eſſe aptiorem Arithmetica Hornii. Egregiè. *De Theophilo Antiocheno* dicit: Quamvis in illo non compareat Cainan, manifeſtè tamen olim fuiſſe ex eo colligi poteſt, quod à Diluvio ad nativitatem Iſaaci numeret annos 1150. R. 1. Ex eo nihil poteſt concludi, ſi enim Nachor genuit anno 179. ut habet codex Sixtinus, conficietur iſte numerus à Diluvio ad Iſaacum, etiam excluſo

Cai-

Digitized by Google

Cainane. Imò Uſſerius ex eodem Theophilo *lib.* 3. *ad Antolycum* temporum epilogiſmum inſtituente probat, ipſum omiſſo Cainane facere Arphaxadum patrem Salæ. Ad hunc locum ſe reſponſurum promittit Voſſius pag. 323. quid autem reſponſurus ſit, id adhuc latet in calamo. De *Reliquis* vix habet quod dicat, niſi quod ſint qui factum hoc Africani & Euſebii caſtigaverint, quod nempe in ætate mundi computanda Cainanem omiſerint, quibus etiam adjungitur Scaliger, ſummam vocans ἀλογίαν quod cum in cæteris ſequuti ſint LXX. Interpr. in ſolo Cainane diſſenſerint. Verùm hoc nodum non ſolvit ſed magis ſtringit, manifeſto indicio iſtos viros ſuam adornaſſe Chronologiam ex ejuſmodi codicibus, in quibus ſpurius iſte Cainan cum ſuis annis non comparebat.

CAP. XXIII.

De corruptelis Chronologicis poſt Abrahamum.

HActenus de 14. prætenſis ſeculis ex ipſo textu eraſis. *Reſidua quinque vel ſex ſecula* (ait Voſſius in Pręf.) *ut abolerent* Judæi, *decurtarunt intervalla judicum omittendo anarchias & contrahendo ſpatia regum Perſicorum.* Hæc ita intelligenda, ut exiſtimo, ut non accuſetur textus Hebræus ſed Judæorum Chronologia duntaxat ex ſolo textu conflata, quam ex parte ſequuntur Chriſtiani. Nec hic Judæorum ſuſcipere patrocinium mei eſt inſtituti. Habeant illi ſibi ſuam Chronologiam, in qua ſi errarunt, vel anarchiarum annis omiſſis, vel epilogiſmis ex repudiato hiſtoriæ exoticæ paralleliſmo, non rectè conſtitutis, viderint ipſi. Nec enim in ea ſum ſententia, univerſam Chronologiam ex ſolis ſacris literis poſſe aut debere repræ-

Digitized by Google

repræſentari, aliàs malæ proſpectum eſſet hiſtoriæ N. T. quæ à viris θεοπνεύστοις non fuit deſcripta. Neque Deus eum in finem verbum ſuum inſpiravit Prophetis ut epochis & temporum intervallis enumerandis adminiculum eſſet, ſed ut eſſet fidei & vitæ norma. Adeoque multos ex ethnicorum geſtis Chroniſmorum hiatus ſuppleri poſſe quis dubitat? Tantum abeſt ut Judæorum Chronologiam, qui & in iis quæ ex verbo Dei deduci poſſunt quandoque meritò nobis ſunt ſuſpecti, aliis velim anteferri. Quin & ipſe locum illum Danielis de 70. hebdomadibus vindicavi in Theologia Judaica contra Abarbenelem Judæum, & oſtendi quam ineptè Judæi in malæ cauſæ patrocinium hiſtoriam & annos Monarchiæ Perſicæ mutilent, ne ſcil. præclari iſtius vaticinii eventu convicti manus veritati dare cogantur. Quod autem in ipſo Danielis textu aliquid malitioſè immutarint, id equidem hactenus animadvertere non potui. Adeoque mirabar verba Voſſii pag. 184. *Totum Danielis locum, qui haud parum malè exceptus fuit à Judæis tam in Hebræis quam Græcis exemplaribus, alibi interpretabimur.* Studioſè inquiſivi, ubi hoc ageret, nobiſque oſtenderet, qua in re Judæi iſtum locum tam male exceperint. Reperi ejus paraphraſticam expoſitionem in Præfatione. *Quantis*, ait, *tenebris pleraque hujus* (Danielis) *vaticinia involvere conati ſint, non eſt hujus loci oſtendere, unam tantum hoc loco vindicabimus prophetiam, quæ mirum quam multos hactenus vexarit interpretes.* Quomodo autem vindicat? Primò ipſum textum exhibet Græcè quem deinde confert cum vulgata Latina, annotatque aliquas voces ex verſione Aquilæ, & ſic ſe ſatisfeciſſe putat ſenſui literali. Subjicit hiſtoricum quaſi is etiam ad literalem non pertineat. Primum comma dicit eſſe cla-

 rum,

rum, quia dicat Propheta LXX. hebdomadas determinatas eſſe populo & urbi Hieroſolymæ, quibus conſummari debeant peccata per paſſionem Chriſti, &c. Signari dein tempus quo incipiant & finiantur iſtæ hebdomades, nempe ab anno Xerxis 25. uſque ad nativitatem Chriſti. Spatium hoc dividi in 62. hebdomades cum dimidia, & ſeptem cum dimidia. Initio hebdomadarum reſtaurandam rempublicam Judaicam, poſt 62. hebdomadas cum dimidia ceſſaturam unctionem regum & Pontificum è ſtirpe Judaica. Quod de civitate perdenda & venturo duce dicitur, citat ex verſione Aquilæ quam confert cum textu. Per ducem intelligit non Neronem ſed Chriſtum. Aquilæ præfert Theodotionem. Tandem illa, *& confirmabit teſtamentum multis hebdomada una.* intelligit de prędicatione Evangelii. Hinc vult lectorem judicare, an non ſatius ſit Joſepho præmonſtrante viam, tam exacte principium & finem hebdomadum Danielis & Chronologiæ methodum oſtendiſſe, quam hodiernis obtemperando Chronologis tam diſcrepantes inter ſe velle componere ſententias. Hoccine, Voſſi, eſt vindicare? hoccine oſtendere quam malè locus iſte ſit exceptus à Judæis? At ſi vindicare eum volebas, Judæorum ſcripta evolvere, eorum rationes expendere & confutare debuiſſes. Si oſtendere animus erat quam malè locus ille ſit exceptus à Judæis, ipſa textus verba citanda erant, & corruptelę eruendæ. Ideoque ut ampliores loci ſeu vindicias ſeu expoſitionem, quod aliàs feci, & majorem requirit accurationem, aggrediar, nec operæ pretium hic eſt, nec inſtituti, ſiquidem id unicè nunc ago, ut textum à tuis criminationibus liberem.

Pag. 172. dicis: *Librariorum culpa factum eſſe, ut in hodiernis*

diernis Hebræis codicibus non pauca abſurda occurrant. Id duplici exemplo probas. 1. Ex loco 1. Reg. 15. 9. *Aſa dicitur cœpiſſe regnare anno Jeroboami viceſimo, cum tamen hoc fieri non potuerit. Tollitur verò hic obex ſi Græcæ tralationis lectionem ſequamur, in qua ſolidi 24. anni regno Jeroboami tribuuntur. Aſa vero non tres tantum annos regnavit, uti Hebræa exemplaria, ſed ſex, uti habent* LXX. *Interp. quorum lectionem meliorem eſſe ipſa evincit ratio.* R. Vel meus ſtupor vel tua oſcitantia in cauſa eſt quod non percipiam quid hic tibi velis aut quid ſomnies. Aſam 41. annos regnaſſe Hieroſolymæ dicit Scriptura. 1. Reg. 15. 10. Nihil ibi de tribus, nihil de ſex annis. Nec ullam dicis rationem, quare hoc non potuerit fieri, ut Aſa regnare cœperit anno 20. Jeroboami, nec quare Jeroboam potius 24. annos regnavit ſecundum LXX. quam 22. ſecundum textum Hebrçum. Sed hoc quidem invenio, tuos LXX. ſibi turpiter contradicere, nam 1. Reg. 14. 20. dicunt αἱ ἡμέραι ἃς ἐβασίλευσεν Ἱεροβοὰμ εἴκοσι δύο ἔτη. *Dies quibus regnavit Jeroboam erant 22. anni.* At 1. Reg. 15. 9. dicunt Aſam cœpiſſe regnare *anno 24. Jeroboami.* Concilia mihi iſta ſi potes. Imò *tam ineptus* es ut poſteriorem illam deſignationem probes, quod ſane non feciſſes ſi MS. illud Alexandrinum, quod *in* tanto apud te pretio, inſpexiſſes, ubi laudatus à te error corrigitur. Næ tu inſignis nobis es ἀνυστάτων in *Hebraicis* indagator.

Alterum exemplum ſic affers: *Manifeſtus quoque eſt error Hebræorum exemplarium in ætate Ochoziæ, qui 42. annorum fuiſſe dicitur quando regnum ſuſcepit. Atqui pater ejus Joram 40. fuit annorum quando obiit, erat quippe 32. annorum cum regnare cœpit, regnavit verò octennium. Hinc ſequeretur filium biennio natu majorem fuiſſe parente. Sed verò abeſt hæc*

 diffi-

difficultas. In Græcis exemplaribus, in quibus 20. vel potius 22. tantum annorum ætas tribuitur Ochoziæ, quando ad regnum evectus eſt. Reſp. Quid dicam de te Voſſi? Si quis te hic exciperet prout tu alios ſoles excipere, annon pro merito? Quare non citas caput & verſum, ubi error ille & quidem *manifeſtus* contineatur. Ego ſex diverſarum editionum inſpectis codicibus hęc verba conſtanter reperio. 2. Reg. 8. 26. בן עשרים ושתים שנה אחזיהו במלכו ושנה אחת מלך *Erat viginti duorum annorum Ochoſias cum regnaret, regnavitque anno uno.* An עשרים tibi ſunt quadraginta? vix fido oculis meis quando talia lego, ſemper enim Voſſius menti meæ obverſatur ut vir literatiſſimus.

CAP. XXIV.

Vindiciæ locorum ex Pentateucho.

EXpedita controverſiâ Chronologica, ſigillatim nunc excutienda loca alia quæ vel ex incuria vel per fraudem dicuntur corrupta in textu Maſoretico, incorrupta in verſione LXX. De iis agit Voſſius à pag. 17. uſque ad 83. ita ut plerunque ex eadem fidelia dealbet verſionem, & nigredine obducat textum. Vindicabimus autem ſingula juxta ordinem S. Scripturæ, facto initio à Pentateucho:

GEN. II. 2.

Accuſabatur verſio Græca quod Deum opus ſuum *die ſexta* compleviſſe dicat, ubi textus habet *die ſeptima.* Ait Voſſius codicem Hebræum hic eſſe vitiatum, non verſionem, ſiquidem Deus non ſeptem ſed ſex diebus creavit mundum, adeoque die ſexto complevit opus, non die ſeptimo. Idem teſtatur codex Samaritanus הששי *ſexto.*

R. 1.

Digitized by Google

R. 1. Textus ſibi conſtat, apertè enim dicit, Deum die ſeptimo quieviſſe. Dum ergo ait, ipſum die ſeptimo compleviſſe opus ſuum, non loquitur de fine ſed initio iſtius diei, quo incipiente laborem excepit quies. Hanc Moſis mentem fuiſſe, directè liquet ex connexione principii hujus capitis cum fine præcedentis. *Et fuit veſpera & fuit mane dies ſextus*. Ergo ſub finem diei ſexti cum ſequeretur veſper qui erat initium diei ſeptimi (nam Judæi à veſpertino tempore inchoant diem naturalem) opus fuit abſolutum. Quid hic culpari poſſit inquirant qui nodum in ſcirpo quærunt. 2. Error iſte non fuiſſet commiſſus de induſtria, adeoque non fugiſſet Maſoretas, quandoquidem aliqua ſaltem exemplaria ab eo fuiſſent libera. 3. Sed poſito, loqui hodiernum codicem de die ſeptimo incluſivè ad opus (quod fortè putavit ſciolus ille Græcus qui ſeptimum in ſextum commutavit) quis non videt locum ex allelouchia corrigi poſſe, etiamſi nulla verſio ad manus eſſet.

Gen. III. 17.

Textus habet: Maledicta terra בַּעֲבוּרֶךָ *propter te*. Gr. *in operibus tuis*. Vult Voſſius in auct. Caſtig. textum olim habuiſſe בעבדך adeoque nunc corruptum, provocatque ad Cappellum, qui hanc vocem allegat in Critica, docetque ד & ר quandoque confundi. R. 1. An Cappelli authoritas nobis inſtar legis? Quando textus hodiernus ſenſum reddit commodum & perſpicuum, quid nobis cum LXX, quid cum Cappello? 2. Non dicit Cappellus, olim ſcriptum fuiſſe בעבדך, hoc Voſſius addit de ſuo, ſed oſtendit proclivitatem lapſus propter affinitatem literarum. Si ergo interpolator aliquis Græcus cæcutiens

 malè

Digitized by Google

malè legit, quid hoc ad textum? 3. Imò agnoſcit Cappellus, vocem בעבריך in ſignificatu *operum*, non eſſe Hebraicam ſed Chaldaicam, quo ſenſu Moſes eâ nunquam eſt uſus.

GEN. VI. 3.

Textus. לא ידון *Non contendet.* Gr. *Non permanebit*, legit nempe ידום. Et ſic etiam tum ſcriptum fuiſſe, ait Voſſius, teſte Cappello. R. 1. Iterum dico, nihil nobis negotii cum Cappello. Textus eſt perſpicuus & præſtat verſione. Verè enim Dei ſpiritus contendebat cum impiis, eo ſenſu quo optimè explicatur hic locus 1. Pet. 3. 19. 20: quod non attendit Voſſius. 2. Injuriam etiam facit Doct. D. Cappello. Non enim is tam ineptus erat ut probarit lectionem ידום ſed dicit tantum LXX. ſic legiſſe. Aliud lectum, aliud ſcriptum.

GEN. XIV. 5.

Textus. Percuſſerunt הזוזים בהם *Suſæos in Ham.* Gr. *Gentes robuſtas in ipſis.* Videtur legiſſe in Hebræo עזוזים בהם nempe *bahem*, pro *beham*. Approbat Voſſius lectionem LXX. eamque authoritate paraphraſeos Chaldaicę & textus Samaritici confirmat, adeoque hodierna lectio Hebræa in הזוזים foret corrupta. R. Nullius corruptionis hic coargui poteſt textus. Si paraphraſtis authoritas valet, male habet Græca verſio *ἐν αὐτοῖς in illis* pro *in Ham.* Nec veroſimile, lectum tum fuiſſe עזוזים. Triplex enim gigantum genus ibi recenſetur ſub tribus nominibus הזוזים, רפאים, האימים, quæ etſi Hebraicæ originis, epitheta tamen erant gentilitia, non Hebræis ſed Cananæis uſurpata. Vide Deut. 2. 11. Quæ paraphraſtes reddit per nomina

mina appellativa, robur & terrorem deſignantia. עוים verò fuiſſe nomen gentilium, quis dixerit? Iſta ergo conjectura nimis eſt levis, quam ut contra originalem textum quippiam valere debeat, ſed judicandum potius, verſionem LXX. ex paraphraſte à ſciolo corruptam eſſe, & ex verſione in paraphraſin degeneraſſe.

Gen. XXXVI. 2. 14.

Textus. *Obolibama filia Ana, filia Sibbon.* Gr. Filia Anæ, *filii Sibbon.* Ubi Ana quæ in textu eſt mulier, in verſione eſt vir. Excuſat Voſſius, quod genealogiæ non per matres, ſed per patres recenſerentur. Ergo in Hebræo debuiſſet eſſe בן non בת. R. Hoc equidem in genealogiis amplioribus locum habet, aliàs matrem alicujus nominari conſtat exemplis, vide 2. Par. 20. 31. &c. Tum & notandum, nomen *Anah* habere terminationem generis fœmin. idemque confirmari à paraphraſte Chaldæo. Malè ergo à textu eſt receſſum.

Gen. XXXVII. 2.

Textus. *Retulit Joſeph infamiam fratrum ſuorum ad patrem.* Gr. *Detulerunt fratres Joſephum ad patrem*, ſenſu contrario. Hic uſque adeo ineptit Voſſius, ut errorem agnoſcere nolit in verſione. Audet enim dicere, olim aliter hunc locum ſcriptum fuiſſe in Hebræis codicibus, quia ipſi non ſit veriſimile, Joſephum optimæ indolis adoleſcentem probra fratrum ſuorum ad patrem detuliſſe. R. Quæ quæſo hæc eſt ratio? Imo in eo probitatem ſuam demonſtravit, quod fratrum ſcelera & turpitudinem patri ſuo retexerit. Quò non labitur humana mens, ubi præconceptæ opinioni pertinaciter indulſerit? Fruſtra eundem erro-

Digitized by Google

errorem errantium authoritates allegat. Hoc enim errorem non excuſat ſed aggravat, petitque principium.

GEN. XLIX. 6.

Textus: In congregatione eorum *ne uniaris gloria mea.* Gr. *Ne contendat jecur meum.* Juxta cod. Samarit. *Ne ardeat gloria mea,* legendo תחר pro תחד. Idem, Textus habet: In voluntate ſua ſubverterunt murum. Gr. *Nervos inciderunt tauro*, exponendo שור *taurum.* Hæc licet valde ſint inſipida, ipſius tamen palato melius ſapiunt quam verba textus, utut hæc ſibi conſtent & ſanum reddant ſenſum. R. ergo. 1. Verbum חרה non ſignificat *contendere*, utpote quod Hebraicè eſt רוב, ſed *ardeſcere irâ* in aliquem. Sic autem ſenſus eſt ἄλογον & menti Jacobi contrarius, quod non conſideravit Voſſius. Maximè enim exarſit irâ ejus in Simeonem & Levi, quòd ſubvertiſſent Sichemum. Rectius ergo verba ſonant, *ne uniatur, ne adhæreat.* 2. Poſito, ſenſum non fieri abſonum, conſtructio tamen non eſt ſatis Hebræa. Verbum enim illud conſtruitur cum nomine אף *ira*, quod ſi deſit, ſubintelligitur, vel per lamed additum ſubjecto quod iraſcitur, vel per beth additum objecto cui iraſcitur, vel per utrumque. Dicere ergo debuiſſet אל תחר לכבודי. 3. Valde etiam ineptum, כבוד exponi *jecur*, quia ſcil. jecur eſt ſedes bilis, ut ait Voſſius ex Horatio. Sed Horatius nobis non explicabit Hebraiſmos, nedum malè intellectos confirmabit. Quid per כבוד hic intelligendum, melius diſcetur ex Pſal. 16. 9. Manifeſtò ergo hinc liquet, iſtam expoſitionem non eſſe à 70. nam iſti Hebraiſmi tantoperè rudes non erant, ut tantum ſolæciſmum commiſiſſent, ſed exſcriptor Græcus eam mutuatus eſt à textu Samaritico, ubi ד. in ר. mutatum eſt.

Digitized by Google

eſt. Et ſiquidem in Scriptura Samaritica daleth & reſch valde differunt, veriſimile eſt, codicem Samariticum illum fuiſſe exſcriptum ex codice Hebræo noſtri characteris, ubi nihil proclivius quam reſch pro daleth legi, & vice versâ.

Nec minus ridicula eſt enunciatio poſterior. Quid illud? *Nervos inciderunt tauro.* Verum quidem eſt, שור per cholem notare *bovem*. Sed quis ille bos quem Simeon & Levi enervarint? Annon convenientius per שור cum ſchurec intelligimus cum paraphraſte Chaldæo *murum* vel *inimicum*, ut alibi ſæpius? ut ſenſus ſit, eos evertiſſe ædium oſtia & muros, nempe cum urbem Sichem irâ perciti invaderent, quod non in hiſtoriam tantum, ſed & in conſtructionem verbi עקר magis quadrat. Hoc enim non *enervare* boves, ſed *exſtirpare*, *eradicare* ſignificat. Magno molimine hic nugas agit, cum per taurum intelligit Principem Sichemitarum, ſiquidem & alibi in Scriptura ſic legatur. Fortè quia Pſal. 22. Principes gentium dicuntur leones, canes, tauri, in hypotheſi ob violentiam, inde *quaſi confici poſſit*, ut bos in theſi ſit commune epitheton Principum. Dicantur ergo & vulpes, quia Herodes ob aſtutiam ſic dictus eſt. Miſero iſti πάμαλι ſuperſedere potuiſſet, ſi oculos in verſionem Chaldæo-Samaritanam conjeciſſet, ubi male שור redditur per תור *taurus*, quam exſcriptores Græci ſunt ſecuti ut ſupra. Quicquid ſit, textus Hebræus hic culpari nequit.

Gen. XLIX. 10.

Textus. Donec veniat שילה *Schilo*. Gr. Donec veniat *cujus eſt*. Videtur ipſi Judæos vocem illam corrupiſſe, & pro שלה quod legitur *Schello*, & exponitur *cujus eſt*, repo-

repoſuiſſe *Schilo* quod obſcurum eſt. R. 1. Niſi τῶν LXX. obſtaret authoritas, majorem accuſandi anſam arripere potuiſſet, ſi cum Pontificiis verſionis vulgatæ cauſam agens, τὸ שילה & שלוח *miſſus* (quod ſit epitheton Meſſiæ) corruptum diceret. 2. In voce iſta aliquid fraudis ſubeſſe, nemo jure contendere poteſt. Omnes enim ferme Rabbini cum paraphraſte Chaldæo uno ore clamitant, eſſe epitheton Meſſiæ, cui bono itaque eam data operâ corrupiſſent? 3. Veroſimile autem eſt, LXX. Interpp. dubitantes de origine vocis שילה, putaſſe *he* eſſe loco *vau*, quæ immutatio in pentateucho haud rarò exſcriptorum ſocordia contigit, uti diligenter obſervarunt Maſoretæ, & idcircò tranſtuliſſe, *cujus eſt*. Quam lectionem, utpote ex iſta occaſione in eccleſia receptam, paraphraſtes videtur voluiſſe retinere, non omiſſo tamen epitheto illo quod per משיחא expoſuit. Quo etiam facit, quod Maſora marginalis fatetur, unum codicem eſſe viſum, ubi Cetibh eſſet שילו. Sed tamen medium jod iſti lectioni non favet. Siquidem ergo omnes alii codices, teſtante Maſora, conſtanter legunt שילה, nec ulla ſubeſt cauſa, quare Judæos hic habeamus ſuſpectos, quidni lectionem illam hodierni codicis, quæ & ſenſum præbet commodum, ſi vox ad radicem שלה *tranquillus fuit*, revocetur, retinemus?

GEN. XLIX. 22.

Textus. בנות צעדה עלי שור. *Filiæ incedunt ſuper muro.* Gr. *Joſeph, filius meus noviſſimus, ad me convertere.* Ex cod. Samarit. בני צעירי עלי שור. Nam שור etiam *reſpicere* ſignificat. Hanc lectionem præfert Voſſius, adeoque textus erit corruptus. R. Ego potius exiſtimo, codicem Samaritanum à quo exſcriptor Græcus ſuam expoſitionem

nem habet, eſſe corruptum. Patet. 1. ex verſione Samaritana, quæ utramque lectionem conjungit, ergo textus Hebræus, ſaltem cum iſta verſio fieret, nondum erat corruptus, ſed tetxu Samaritano purior, utpote recentior ex codice Eſræ. 2. Vox צעירי non eſt Hebræa, ſed צעיר. 3. Joſeph non fuit noviſſimus Joſephi filius ſed Benjamin. 4. Quis ſenſus? *ad me convertere.* Quomodo hoc convenit cum præcedenti, ſiquidem jam modò converſus erat Joſeph ad patrem, cum ejus benedictionem exciperet. 5. Textus Hebræi ſenſus eſt planus, ſiquis Hebraiſmum intelligat, quem Voſſius ex avi ſui Cl. viri *Fr. Junii* verſione addiſcere, & ut commodum retinere debuiſſet. Nam Joſeph comparatur arbori, cujus rami ſupra muros aſcendentes, phraſi Hebræa haud ineleganti dicuntur *filiæ* arboris.

EXOD. XXXII. 18.

Textus. קול ענות אנכי שמע *Vocem præcinentium ego audio.* Gr. *Vocem præcinentium vinum ego audio.* Judicat vocem ענות corruptam eſſe ex יינות *vina*, nam aliàs committi battalogiam, ſiquidem textus ita habet: *Non eſt vox præcinentium pugnam, nec præcinentium fugam, ſed vocem præcinentium ego audio.* R. 1. Nulla eſt battologia in Hebręo, ſi recte textus inſpiciatur. Putabat Joſua, eſſe vocem in populo, tanquam confligentium in prælio. Reſpondet Moſes, non eſſe vocem præliantium, ſiquidem vox præliantium vel eſt קול גבורה *vox robuſta*, vel קול חלושה *vox debilis*, nempe ejulantium Sed eſſe vocem cantionis, expreſſo verbo ענות per pihel, quod antea erat in kal, ubi ſimpliciter reſponſationem notat ſeu vociferationem, ſive in bello ſive aliter, at in pihel clamorem canentium ſeu

Digitized by Google

tripudiantium deſignat, ut Pſalm. 88. 1. Quæ ergo hic battologia? 2. Vox יינות *vina*, non legitur in plur. nec maſcul. nec fœm. Eſſe verò uſitatam in plur. fœm. apud Chaldæos, & quidem frequenter, ut ait Voſſius, vel falſum eſt, vel mentitus eſt *Elias Levita* qui tradit in *Meturgeman*, vinum Chaldaicè eſſe חמר. Nec ullibi quod ſciam vox יינות occurrit in Targum. Occurrit equidem apud Talmudicos. Sed an Moſes fuit Talmudiſta? 3. Quis eſſet ſenſus? *audio vocem vinorum*: An etiam vinum edit vocem? 4. Sed quod magis ridiculum eſt: Unde vinum in deſerto? ubi ne panis quidem, ut illud biberint, & quidem uſque ad clamoſam ebrietatem? Quis ergo non agnoſcit, non Interpp. LXX. ſtulti iſtius interpretamenti eſſe autores, ſed ſciolum quendam, qui, videns participium ἐξαρχόντων ter repetitum, non poſſe diverſos efficere ſenſus, ſicut Hebræum ענות in kal & pihel, diſtinctionis gratia voluit ultimo adjungere οἴνου *vinum*, ut ſe deridendum propinaret, quaſi populus circa vitulum ſuum ſaltare non potuerit, niſi vino ebrius. Et huic patrocinatur Voſſius, qui etſi videat ineptum hoc gloſſema revictum ex Deut. 29. 6. *Panem non comedebatis, nec vinum aut potum inebriantem bibebatis*, ampliorem tamen ei apologiam in fine ſui libri aſſuere non erubeſcit, petitam ex Auguſtino & Jonathanis paraphraſi. Auguſtinum ex loco Exod. 32.6. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*, colligere, ait, eos non caruiſſe vino in deſerto, ſiquidem hoc de aqua non diceretur. Idem ex loco Exod. 29. 40. ubi de libamine vini & olei miſti ſimila, aſportaſſe eos iſta ſecum inter cętera impedimenta ex Ægypto. Jonathanis autem verba ex verſione citat: *Vnde erat illis vinum ad libandum? Nonne ipſi morabantur in deſerto*

loco,

Digitized by Google

loco, qui non erat aptus ad ſeminandum, neque enim erant ficus, neque vites, &c. Sed ibant ad vineas Engadi, & accipiebant inde botros uvarum & exprimebant ex iis vinum, &c. Sic ſcil. iſte Jonathan exponit locum Cant. 1. 14. *Vt bacca Cypri in plantariis Hengedi, amicus meus eſt mihi. Reſp.* 1. Non exiſtimo velle eum nobis Auguſtini conjecturas pro veritate obtrudere, qui proculdubio textu Hebræo non inſpecto aut non intellecto ſimpliciter fidem habuit interpretibus, qui ipſi ſuo ἐξεψχίσθαι οἴνῳ impoſuerunt. Tum ſi forte aliquod vini, olei, ſimilæ, carnium, &c. ad uſum ſacrum (quem tamen non qualis in deſerto ſed in terra promiſſionis futurus eſſet, in Exodo deſcribi arbitror) ſubſidium vel aſportatum vel à vicinis gentibus coëmptum, inde ne ſequetur tantam vini fuiſſe copiam, ut eo etiam in compotationibus uterentur, adeoque S. Scripturam coargui poſſe mendacii, quæ apertè teſtatur, eos nec panem ediſſe nec vinum bibiſſe? *Reſp.* 2. Sed de Jonathane quid dicam? Voſſii audaciam, qui tam futili teſtimonio tam apertam veritatem oppugnare non dubitavit, *quis non miretur?* 1. Quis dixit ipſi, Jonathanem eſſe autorem *iſtius* paraphraſeos? quem divinitus monitum tradunt Rabbini, ne interpretaretur hagiographa, cujus etiam ſtylum agnoſcunt diverſum & puriorem ſtylo paraphraſeos in hagiographa, quæ nunc circumfertur ſub nomine *R.* Joſephi Cæci, propiuſque accedit ad dialectum Hieroſolymitanam. Videatur *Elias Levita* Præf. in Meturg. Teſtatur quidem *Galatinus*, paraphraſin Jonathanis in eoſdem libros ſibi viſam, cujus etiam aliqua citat hinc inde fragmenta. Sed iſte labor hactenus in publico non comparuit, niſi dicamus targumim inſigniter fuiſſe confuſa. Sed perinde quis ejus autor, modo ſit bona. 2. Quî

Digitized by Google

verò ad Jonathanis teſtimonium confugere audet Voſſius, quem cap. 28. ſui libri *infinitis ſcatere deliriis* contendit? 3. Aptiùs ſane iſtorum deliriorum ſpecimen producere non potuiſſet, quam hoc ipſum quod allegat. Ineptè applicat iſte Targumiſta locum Cantici ad ſtatum filiorum Iſraël in deſerto. Et ſiquidem ibi de *plantariis Hengedi* ſermo eſt, ſomniat, deficiente vino in deſerto ad libamen, deſcendiſſe eos in vineas Engedi; ibique botros uvarum decerpſiſſe. At ubi erat iſtud Engedi? Erat civitas in tribu Juda prope mare mortuum, locus amœniſſimus & fertiliſſimus Joſ. 15. 62. 1. Sam. 24. 1. Ezech. 47. 10. Huc ſcil. deſcendebant Iſraëlitæ cum vino indigerent in deſerto, etſi locus adhuc eſſet in plena poteſtate Cananæorum. Quis ad iſtas Talmudicas ineptias non rideat? quas tamen aliàs ſatis exagitare novit Voſſius. 4. Sed loquitur tantum Targumiſta de vino ad libamen, ergo-ne etiam ex iſtis botris tantam vini copiam exprimebant, ut inde tot millia hominum coram ſuo vitulo inebriari potuerint?

LEV. XIX. 26.

Textus לא תאכלו על הדם. *Non comedetis ſuper ſanguine.* Gr. *Non comedetis ſuper montes*, legendo הרים pro הדם. Etſi præcepti iſtius de non comedendo ſanguine toties mentio fiat in ſacris, nec ullo unquam præcepto ſimpliciter ſancitum ſit, non eſſe cibum ſumendum in montibus; Hac tamen vice placet D. Voſſio, textum eſſe intempeſtivum, quare? quia verſio aliter habet, extantque præcepta de non comedendis εἰδωλοθύτοις in montibus. Iſta verò reſponſo indigna.

DEUT.

DEUT. XXXII. 8.

Textus יצב גבולת עמים למספר בני ישראל *Conſtituit terminos gentium ſecundum numerum filiorum Iſraël.* Gr. *Secundum numerum Angelorum Dei.* Utut hęc meram redoleant ἀσ-γυμνασίαν, placet tamen Voſſio, interpretibus in codicibus legiſſe בני אלהים locumque à Sadduceis, qui angelorum exiſtentiam negabant, eſſe corruptum. Ipſe tamen, ne ſomnio illo de præfecturis Angelorum correptus videretur, textum ait intelligendum de hominibus, qui etiam aliquando Dei filii dicuntur, quatenus nempe præſideant loco Dei. Ut autem conjecturæ aliquam ſpeciem conciliet, ait, τὸ ישראל in codice, quo uſi ſunt LXX. fuiſſe omiſſum, inventum verò in fine ſequentis verſus, ubi hodie omiſſum, allegatque in rei veritatem Codicem Samarit. qui in priori verſu faveat codici hodierno, in poſteriori autem lectioni τῶν LXX. Nec veriſimile ait, Deum deſignaſſe poſſeſſionem filiis Jacobi, antequam Jacob & Abraham eſſent. Imò abſurdum, omnem Adami poſteritatem in 12. gentes partitum eſſe, nec plures in orbe *conſtituiſſe populos*, quam futuri eſſent filii Jacobo. R. Quàm confidenter, quàm ineptè. 1. Si τὸ ישראל in textu tum omiſſum, unde ergo ſubſtituerunt illud האלהים, an ex cerebro ſuo? Eſt enim בני vox conſtructa quæ non *poteſt ſtare* ſola. 2. Quæ autem hæc eſt probatio? o*miſſum erat* τὸ ישראל quia in fine verſus ſeq. illud extat in Codice Samarit. ubi jam non reperitur in Hebræo. An ideo olim fuit omiſſum in verſu priori, quia jam non extat in verſu poſteriori, ubi extare non debet? An non Voſſius rideret hominem qui tam inſulſas necteret conſequentias? Si verſus nonus ſenſum reddit plenum & perſpicuum abſque voce ישראל, uti facit, quid iſta vox ibi habet

habet loci? Debere autem adeſſe quia Codex Samar. eam inutiliter repetit, id fundamento caret. 3. Præterea, ſi per filios Dei hic intelliguntur homines, quomodo ergo Sadducæi locum incorruptum relinquere non poterant? qui non negabant, homines poſſe dici Dei filios. 4. Senſum Hebræi textus quod attinet, quid mirum, Deum deſignaſſe poſſeſſionem filiis Jacobi antequam Jacob eſſet? annon deſignavit ſingulis hominibus ſuum eſſe & locum antequam mundus eſſet? Quomodo autem deſignavit? non dividendo terram in 12. populos pro numero filiornm Jacobi, ut ſomniat Voſſius, ſed mens loci eſt, Deum in diſperſione Babylonica, unicuique genti ſuos conſtituiſſe terminos ad numerum filiorum Iſraël, ita nempe ut ſingulæ diſterminarentur à finibus quos poſtmodum expulſis Cananæis poſſeſſuri erant Iſraëlitæ. Nam בני ישראל hic non ſunt 12. Patriarchæ, ſed tota Jacobi poſteritas, cui tanta regionum portio donata fuit, quantam ipſorum numerus exigebat.

DEUT. XXXII. 35.

Textus. לי נקם *Mihi eſt ultio & retribntio*. Gr. *In die ultionis retribuam*. Hic licet Paulus Rom. 12. 19. ipſa textus verba referat, *meum eſt ulciſci*, placet tamen Voſſio, Paulum non niſi ſenſum verborum referre, verſionem autem verba ipſa, quæ, teſte Codice Samarit. olim fuerint ליום נקם *in die ultionis*. R. Agnoſcere debebat Codicem Samarit. quem verſio Græca ſequitur, hic eſſe corruptum, eſt enim battologia in ליום & לעת, qua loci ſenſus perit. Quid enim eſt? *In die vindictæ & retributionis, in tempore nutabit pes eorum*. Ergo *in die* ibi eſt alienum, ſufficit enim לעת.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXV.

Vindicantur loca duo ex Joſ. & Sam.

JOS. XV. 59.

IN textu omittuntur nomina undecim urbium tribus Judæ, quæ ſunt in verſione, fueruntque olim etiam in textu, ſed videntur eraſa à Judæis, quia in iſtis nominibus eſt *Ephrata* quæ Bethlehem, ne ſcil. Chriſtus de tribu Juda ortus videretur. Quod ne ipſe quidem audet negare Hieronymus, quantumvis magnus Judaici exemplaris propugnator. R. Sed nec Hieronymus illud affirmat, utpote qui in dubio relinquit, an à LXX. iſta nomina ſint addita, an verò à Judæis ſtudio eraſa. Cappellus equidem, à quo iſta mutuatur Voſſius, nomina iſta malè in Hebræo eſſe omiſſa judicat, verùm id à Judæis ſtudio factum, non largitur, quod tamen Voſſius ex Hieronymo pro confeſſo arripit. Dico ergo. 1. Non fuiſſe ſtudio omiſſa. Cui enim bono id feciſſent? an ut ſupprimeretur locus natalis Meſſiæ? at iſte ſatis indicatur in *vaticinio Mich.* 5. ubi potiori ratione eradendus fuiſſet. 2. Exſtitiſſe unquam in textu Hebræo, nullo parallelo poteſt evinci, nec ulla alleluchia id poſtulat. Imo ſi unquam exſtitiſſent, aliquod ſaltem repertum fuiſſet apographum Hebræum præter illud quo uſi ſunt LXX. quod ea habuiſſet. Econtra non exſtitiſſe liquidius conſtat, quia nec vulgata Latina, nec verſio Syriaca, quæ ad Apoſtolica tempora refertur, nec Græcus codex Complutenſis iſta nomina exhibent. Magnæ ergo temeritatis eſt velle ilicò textui originali dicam ſcribere in re tam incerta. Sanius eſt ſtatuere, eſſe nomina iſta in apographa aliqua Græca à ſciolo quodam ante Hieronymi tempora, hiſto-

riæ amplificandæ gratia, hinc inde compilata & infarta: Quod equidem in iſtius verſionis apographis non eſt novum.

II. SAM. XV. 32.

Textus 2. Sam. 16. 16. habet חושי הארכי רעה דוד *Chuſchai Archites amicus Davidis.* Gr. ἀρχιεταῖρος *primarius amicus.* Hic accuſabatur interpres quod imperitè confuderit idioma Græcum cum Hebræo quaſi הארכי idem ſit quod ἀρχὴ Græcum. Excuſat Voſſius, exponens τὸ הארכי per *longus* ab אָרַךְ *longus fuit*, quaſi interpres ad iſtam radicem reſpiciens, dicere voluerit, *amicus longo uſu probatus*, ideoque nominarit ἀρχιεταῖρον, archiamicum. Sed quia eadem vox Græca etiam occurrit 2. Sam. 15. 32. ubi חושי הארכי *Chuſchai Archites* ſimiliter exponitur per ἀρχιεταῖρον *primarium amicum*, etſi fundamentum non reperiat, quia non additur in Hebrȩo רעה דוד *amicus Davidis*. Hic ut ſarta tecta conſervetur authoritas interpretis, culpa conjicitur in textum Hebræum, quaſi τὸ רעה alterum inepti iſtius ἀρχιεταίρου fulcrum in noſtris codicibus eſſet expunctum. R. 1. Dum ex una fovea ſuum hominem extrahere conatur, in aliam conjicit. Cui quæſo perſuadebit Voſſius, τὸ הארכי eſſe nomen appellativum pro *longus*. Poſſetne ejus dictionis exemplum nobis proferre? Longum Hebræi vocant אריך vel אָרוֹךְ, non verò ארכי, jod enim toarim poſſeſſivorum & propriorum terminatio eſt. Adeoque non minorem prodit imperitiam iſte interpres, reſpiciendo ad nominis ſignificationem, ac ad nomen ipſum. 2. Tum ſi ad ſignificationem reſpexit, quomodo iſtud ἀρχὴ ipſi in mentem venit? an ἀρχὴ & *longus* ſunt Synonyma? Quicquid ſit, perverſè ſentiens iſte, ſive interpres ſive interpolator de voce הארכי, non potuit in loco

2. Sam.

Digitized by Google

2. Sam. 15. 32. figere pedem, quin & ad ſuum ἀρχετυπῖον, τῷ רעה, capitis ſeq. ſubnixum recurreret. Sumpta autem voce juxta terminationem Hebræam pro nomine gentilitio, ſenſum in priori loco per τὸ רעה ſuppleri, non eſt neceſſe.

CAP. XXVI.

Locus celebris ex Pſalm.

PSAL. XXII. 17.

Textus. כארי ידי ורגלי *ſicut Leo manus meas & pedes meos*. Gr. *Foderunt manus meas & pedes meos*. Corruptum in textu videtur כרו *foderunt* in כארי *ſicut leo*, quod ſenſum facit dilutum, datâ operâ, ſcil. ad obſcurandum inſigne illud vaticinium in crucifixionem Chriſti. R. Hic ego ſemper indignor Judæis, non quod locum corruperint, hoc enim eſt imperitè loqui & iniquè accuſare, ſed quod diverſam lectionem à ſuis Maſoretis obſervatam nolint agnoſcere. Teſtatur *R. Jacob Ben Chaÿm*, Maſoræ majoris collector במקצת ספרים מדוייקים מצאתי כתוב כארו וקרי כארי *ſe vidiſſe aliqua exemplaria correcta, quæ in textu habebant* כארו *in margine* כארי. Quod Keri etſi pravum, oſtendit tamen, corruptionem non eſſe ſtudio factam, ſic enim autor iſtius pravi Keri τὸ Cetibh ilico expunxiſſet, eique ſuum Keri ſubſtituiſſet, quòd demum in poſterioribus ſeculis ex oſcitantia potius quam malitia contigit. Nec ſanè iſte collector iſtiuſmodi teſtimonium unquam perhibuiſſet, ſi Judæi in iſtam corruptionem conſpiraſſent. Idem evidenter liquet ex Maſora marginali ב׳ קמצין בתרי לישני *bis reperiri* כארי *cum kametz ſub caph in diverſa ſignificatione*. Nempe Pſal. 22. 17. & Eſai. 38. 13. Hic autem neceſſario ſignificat *ſicut leo*, ergo in Pſalmo

habet ſignificationem aliam, quæ autem illa alia eſſe poſſit, quam quæ oritur ex reſtitutione τ̃ vau, *foderunt*, nempe cum Aleph epenthetico, uti aliàs. Quinetiam Chaldæus paraphraſtes Judæos hic à fraudis crimine abſolvendos oſtendit, ſiquidem utramque lectionem, prout in codicibus ſui temporis reperit, amplectitur אפקוני נכתן חיך כאריה אידי ורגלי *Cinxerunt me mordentes inſtar leonis manus & pedes meos*. Non ergo fuit hic locus abſolutè corruptus, ſed in quibuſdam codicibus malè ſcriptus & per Maſoretas reſtitutus. De quo plura in annotationibus noſtris ad Pſalterium Hebraicum.

CAP. XXVII.

Loca duo ex Eſaia.

ESAI. XXVIII. 1, 4.

TExtus. על ראש גיא שמנים *In vertice vallis pinguium*. Gr. *In vertice montis*. Subſtituens montem pro valle. Non equidem hic accuſat textum, ſed verſionem cum eo conciliat, dicitque vocem גיא à Grammaticis derivari à גאה *altum eſſe*. Unde concludit, eam utramque *vallis* & *montis* ſignificationem admittere, non per antiphraſin, ut volunt Grammatici, ſed ex ſua natura. Quoniam verò abſurdum videbatur, unam vocem ſignificare contraria, adducit in fine libri exempla aliquarum antiphraſium, ut ברך *benedixit* & *maledixit*, &c. Hic autem imprimis valere ſignificatum *montis* propter adjectum, valles enim vertices non habent ſed montes. R. 1. Si rogarem Voſſium, ut mihi unum ex iſtis Grammaticis nominare dignetur, aqua ipſi hæreret. Si forte aliquis Grammaticaſter iſto ſomnio laboravit, quod reprehendit Doctiſſ. *Mercerus*,

Digitized by Google

an inde ſequitur Grammaticos Hebręos ſic derivare? quaſi hæc communis eſſet ſententia. Præſtantiſſimus Grammaticorum fuit R. *D. Kimchi.* Videat in libro ejus de radicibus, an is tam ineptus ſit, ut contra omnem rationem Grammaticam, τὸ גיא derivet à גאוה. 2. Exempla quæ adducit ad rem non faciunt, hæc enim dicuntur per antiphraſin, & locum tantum habent in actionibus contrariis, at vallis & mons non ſint contraria ſed diſparata, & nomina ſubſtantiarum, inter ſubſtantias autem nulla unquam obtinet antiphraſis ſed analogia aliquando. 3. Fruſtra addit: *Vbi vertex quo pacto ibi vallis eſſe poſſit?* Vertices non ſunt valles, ſed valles ſunt juxta vertices. Melius autem quadrat nomen *vallis*, quia שמנים *pingues*, loci enim pingues non ſolent eſſe vertices montium, ſed valles.

Esai. LIII. 8.

Textus. *Propter ſcelus populi mei plaga eſt* למו *ipſi.* Gr. *ad mortem ductus eſt.* Dicit Hebræos habere, *percuſſi eos*, nam למו eſt plur. ne ſcil. Meſſiæ in ſing. ſed Iſraëlitis *in plur. hoc vaticinium* applicetur. Sumi autem τὸ למו ſingulariter, *id à ratione* omninò alienum eſſe. Videtur ergo לו corruptum in למו. R. 1. Vel textum non inſpexit, vel parum in Hebraiſmo verſatus eſt, quod dicat, Hebræos habere, *percuſſi*, hoc enim foret נגעתי, quod in textu non inveniet. 2. Fruſtra & nimis confidenter dicit *à ratione* alienum eſſe, ut למו ſumatur ſingulariter. Ipſene ergo rei Grammaticæ peritior eſt, ac magnus ille R. D. *Kimchi*, qui apertè agnoſcit, particulam iſtam utriuſque numeri proprietatem continere, & exemplis demonſtratur poſſe ſumi ſingulariter, qua de re conſulat qui volet Theologiam noſtram Judaicam ubi de vaticinio Eſai. 53.

& in ſpecie de voce למו egimus ſatis prolixè. 3. Poſito, nullum Rabbinorum agnoſcere, particulam illam ſingulariter poſſe accipi, nec ullo id exemplo poſſe demonſtrari, nego tamen ullam fraudem hic ſubeſſe. Quæ enim miſera iſta eſſet corruptio, velle in numerum pluralem convertere ſubjectum aliquod, quod in eodem contextu ultra 40. ſingularitatis indiciis notatum fuerat. Corrigerem ergo (niſi commodior dari poſſit explicatio per pluralem) illud corruptum למו ex ſola allelouchia, etiamſi nulla verſio iſtius correctionis viam mihi præmonſtraret.

CAP. XXVIII.

Locus celebris ex Amos.

AMOS V. 26.

TExtus. ונשאתם את סכות מלכבם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם *Et portaſtis tabernaculum regis veſtri, & apparatum imaginum veſtrarum, ſtellam Dei veſtri, quas feciſtis vobis.* Gr. *Et aſſumpſiſtis tabernaculum Moloch, & ſydus Dei veſtri Raiphan, figuras eorum, quas feciſtis vobis.* Lucas in Act. 7. 43. eundem locum citans, ſequitur verſionem Græcam, niſi quod *Raiphan* in *Remphan* mutat. Hinc colligit Voſſius locum Prophetæ ſic olim habuiſſe prout exhibet verſio, nec poſſe aliter quia prævalet authoritas Lucæ. R. Ego verò exiſtimo, cum iſte locus verteretur, interpretem Græcum eadem verba legiſſe in textu, quæ etiamnum legimus. Hoc ut planum fiat, verba Prophetæ reddo ut ſupra, cui expoſitioni verſio Græca neutiquam repugnat, ſed eam dunraxat explicat, ita ut non tam verſio ſit quam paraphraſis. Iſta autem explicatio triplex eſt. 1. Significare voluit interpres, quis-

Digitized by Google

quisnam fuerit iſte rex, quem pro idolo coluerint Iſraëlitæ, & cujus tabernaculum geſtaverint. Is fuit *Moloch* idolum Ammonitarum, quod à regnando nomen habet, unde hic *rex* dicitur, & quidem rex Iſraëlitarum, quia ei ut ſuo regi ac Deo ſacra faciebant. Quod autem quidam סכות ſumunt pro nomine proprio idoli, redduntque *portaſtis Siccuth regem veſtrum*, id mihi non probatur. סכות enim idem eſt quod סכה *tabernaculum*, unde סכות בנות *tabernacula filiarum*, veneri dicatarum. 2. Reg. 17. 30. Vide *Seldenum* de Diis Syris. Hactenus difficultas. 2. Significare etiam voluit, quid per *ſtellam Dei veſtri* eſſet intelligendum. Præter enim Molochum, quem ſub figura hominis aut vituli geſtabant, etiam geſtabant figuram ſtellæ, quæ Deum aliquem repræſentabat. Iſtum Deum interpres vocat Rephan ſeu Remphan, quam vocem hodieque in uſu eſſe apud Coptitas ſeu Ægyptios (apud quos Græci interpretes verſionē ſuam olim adornarunt) & *Saturnum* denotare, obſervat Doctiſſ. *Bochartus*. Phaleg lib. 1. cap. 15. Hoc ſecundum eſt. 3. Explicatur etiam *modus, quomodo* iſti Dii colerentur, nempe per magnum idolorum & imaginum, quæ publicè geſtabantur, apparatum, uti hodie apud Pontificios uſu venit. Iſtum modum uterque tam textus quam interpres deſignat. Interpres: *aſſumpſiſtis figuras eorum, quas feciſtis ipſis*. Textus: *Portaſtis apparatum imaginum veſtrarum quas feciſtis vobis*. Expono enim כיון non per nomen proprium pro *Saturno*, quicquid dicat Aben Eſra, quicquid interpretes alii, ſed nominaliter ut סכות pro apparatu, à כון *aptavit, diſpoſuit*. Et ſic conſtructio plana eſt. Quis enim ſenſus foret? *Geſtaſtis Kijun imaginum veſtrarum*. Atque ita, nulla prorſus inter textum & verſionem eſt diſcrepantia, niſi quod textus

textus ponit ſecundo loco, id interpres tertio, quod textus in ſecunda perſona, id interpres,ad rem quam ad verba attentior,in tertia. Hæc eſt ſolutio difficilis iſtius nodi, de quo magnus ille *Seldenus* Cap. 14. de Diis Syris: *In loco iſto Amos Propheta obſcuro, me tam cæcutire ſentio, ut nihil omnino videam.* Iſta obſcuritas inde procedebat: 1. Quod ex nominibus appellativis præter neceſſitatem fecerint propria. 2. Quod Kijun & Remphan idem denotare idolum exiſtimaverint, & τὸ *Kijun* ex paronomaſiis in ſcriptis gentilium hinc inde compilatis epitheton Saturni eſſe conjectarint viri literati, unde ſibi ipſis crucem figentes conſtructionem textus obliterarunt, & cum verſione LXX. S. Lucæ hoc loco probata commiſerunt. Facetus hic eſt Voſſius, quod τὸ Remphan ejuſdem generis idolum fuiſſe ac Moloch, conjiciens, illud derivat à רוה *irrigare*, quod ſanguine hominum inebriaretur ſicut Moloch, non animadvertens τὸ Remphan eſſe vocabulum Copticum teſte Bocharto eoque denotari Saturnum ac propterea non poſſe deduci ab Hebræo רוה. Sic ſolent homines, qui ſuis conceptibus nimium indulgentes, ex iis ſibi Remphanos faciunt & Molochos, quos aliis adorandos publicè audent obtrudere.

CAP. XXIX.

Locus ex Jona.

JON. III. 4.

TExtus. *Adhuc dies quadraginta & Ninive ſubvertetur.* Gr. *Adhuc dies tres & Ninive ſubvertetur.* Hic quidem ſuccumbere agnoſcit verſionem, ea tamen lege ne maneat inulta. Siquidem Juſtinus Martyr utramq; lectionem

nem conjungens, habet 43. Oportet ergo numerum minorem intercidiſſe in textu, majorem in verſione. Sed qnare? Quia ſcil. triduum ad prædicandum & peragrandam urbem requirebatur. Confecto ergo primi diei itinere prædixit Jonas, urbem perituram poſt dies 43. ſecundo longius progreſſus, poſt dies 42. tertio die elapſo & peragrata urbe, non niſi 40. ſupererant dies. R. Egregiè. Cui verò licuit tam eſſe ſubtilem? Sed malum! quod textum ſimul & verſionem mendacii arguit. Si enim primo die dixit 43. ſecundo 42. ergo tertio 41. Quid autem quarto? Nihil, tota enim urbe tribuo peragrata, exceſſit. Nunquam ergo dixit; *adhuc* 40. nunquam *adhuc* 3. Quidni ſtatuit Jonam in prædicando continuaſſe? ac die quarto dixiſſe 40. quinto 39. ſexto 38. &c. uſque ad primum. Sic utrique conſuluiſſet. Si codici Hebræo ipſi inviſo iſtud officii invidebat, ſaltem verſioni, cui tantopere favet, hoc negare non debuit. Sed unde quæſo hauſit Jonam triduum in urbe peragranda inſumpſiſſe? Legimus equidem, urbem itinere triduum dierum *fuiſſe amplam*, Jonæ autem non tribuitur niſi iter unius *diei. Nec ulterius* ire neceſſe erat, ipſe enim rex ad primum ejus præconium toti civitati indixit jejunium.

Cap. XXX.

De LXX. *Interpretibus.*

Poſtquam ſatis ſuperque actum de textu Hebræo, & argumentis cum proſagogicis tum apagogicis quibus ejus ſinceritas ſeu defenditur ſeu oppugnatur: Reſtat ventilanda LXX. Interpretum, quorum auguſtum nomen quamplurimis eſt in ore, ſed pauciſſimis in intellectu. Di-

verſa quippe de iis inter viros Doctos ſunt judicia, multaque ex ſcriptis patrum concertatio, quæ hanc controverſiam variis difficultatibus involvit, & idcircò paucis perſpectam, nomineque potius quam vera cognitione pervulgatam.

Exſtat libellus primùm Græcè ſcriptus, poſtmodum etiam in linguam Hebræam, imò & Latinam tranſlatus, & commentariis illuſtratus, quo LXXII. interpretum hiſtoria continetur. Ejus autor eſt *Ariſteas*, rei geſtæ αὐτόπτης & fide dignus, quem Hieronymus regis Philadelphi ὑπερασπιστὴν vocat, ſive ejus conſiliarius fuerit, ſive cubicularius, ſaltem intimus amicus. Narrat is, regem Ægypti *Ptolemæum Philadelphum* (qui fuit tertius ab Alexandro Magno, regnavitq; circa annum mundi 3666. ante Chriſtum natum 280.) magno literarum ſtudio flagrantem, ſuamque Bibliothecam (quam Alexandriæ habebat inſtructiſſimam) Judæorum quoque legibus & ſacris libris ex conſilio ſui Bibliothecarii *Demetrii Phalerei* locupletare ſatagentem, eum in finem ſcripſiſſe literas ad Eleazarum Judæorum Pontificem, ut ſacros libros, viroſque doctrina & pietate præſtantes qui eos ex Hebræa in Græcam linguam regi familiarem transferrent, ad ſe mitteret. Pontificum convocato concilio miſiſſe LXXII Seniores (ſex nempe ex ſingulis tribubus) unà cum ſacro volumine aureis literis deſcripto, quos rex hilariter exceptos in inſulam Pharum (ut ab omni ſtrepitu remoti tranſlationi incumberent) ablegarit, ibique opus hoc à viris illis LXXII. dierum ſpatio tanta accuratione fuiſſe peractum, ut inſtituta collatione nihil diſcrepantiæ inter textum & verſionem fuerit animadverſum. Tum regem, poſtquam Judæis in Ægypto commorantibus exemplaria in ſuum uſum

Digitized by Google

uſum exſcribendi facultatem conceſſiſſet, juſſiſſe ut ipſum verſionis autographum in ſua Bibliotheca depoſitum religioſè aſſervaretur. Hæc Ariſteas, à quo ſolo habent quicunque hujus hiſtoriæ mentionem faciunt, inter quas primus fuit Ariſtobulus Philoſophus Judæus Ariſtea 80. annis poſterior, tum Philo Judæus, Joſephus, Talmudici & Rabbini, ex Patribus Chriſtianis, Juſtinus Martyr, Tertullianus, Euſebius, Auguſtinus, Hieronymus, Epiphanius. Nonnulli equidem ex recentioribus Ariſteæ librum ſugillant. Sed prout ejus authoritati nihil detractum volumus, ſic nec fabulas quas alii ad extollendam verſionem LXX. ei aſpergunt, admittimus, ut ſunt de LXXII. cellulis, quibus ſinguli iſti interpretes fuerint incluſi, de omnibus V. T. libris à ſingulis ſpatio LXXII. dierum tam admirabili conſenſu, tranſlatis, ut ne vel minima inter eos diſcrepantia fuerit, & ſi quæ ſunt alia iſtius generis, de quibus nihil apud Ariſteam. Magnum verò iſtius verſionis tam apud Judæos quam apud Chriſtianos fuiſſe uſum, univerſa docet antiquitas, imò ex ipſo N. T. evidenter con*ſtat, ubi dicta pro*phetica non ex Hebræo textu dun*taxat ſed etiam* ex verſione Græca citantur. Antequam ergo ad argumenta, quibus in præjudicium textus Hebræi pro hac verſione pugnatur, duæ quæſtiones præliminares, quæ ad controverſiæ ſtatum pertinent, expediendæ ſunt. 1. De verſionis authoribus. 2. De ejus diſcrepantia à textu Hebræo.

Cap. XXXI.

De Autoribus & Recognitoribus verſionis LXX.

Totum Vetus Teſt. ante Chriſti tempora fuiſſe tranſlatum, omnes admittunt, ſed à quibus id factum, di-

Digitized by Google

ſceptatur. Tres ea de re invenio ſententias. Prima eorum qui exiſtimant tranſlationem totam ab ipſis LXX. Interp. 72. diebus eſſe perfectam, non miraculoſè, quaſi ſinguli totum V. T. in totidem diſtinctis cellulis & quidem admirando conſenſu tranſtulerint, ut fingunt alii, ſed diviſis laboribus quod facilè, cum tantus eſſet interpretum numerus, intra iſtud temporis ſpatium fieri potuit. Hanc ſententiam tuetur Cl. *Waltonus Proleg. in Polyglotta*, fretus authoritate Patrum, Juſtini Mart. Clem. Alexand. Euſeb. Iren. Tertull. Origen. Auguſt. Epiphan. Secunda defenditur à Cl. *Uſſerio Armachano Syntag. de* LXX. *Interp.* qui omnibus iſtis Patribus opponit Joſephum & Hieronymum quibus addit teſtimonia Judæorum, ſtatuitque LXX. illos non niſi pentateuchum tranſtuliſſe, hoc enim diſertis verbis dicit Joſephus Procem. antiq. *Neque enim totam Scripturam accipere illi* (Ptolemęo Philadelpho) *contigit, ſed legem ſolam ei tradiderunt interpretes; qui ob hoc Alexandriam miſſi fuerant.* Hic decidit litem de voce *legis*, quia uſus fuit Ariſteas cum diceret: LXX. illos fuiſſe interpretes legis, per quam fruſtra qui primam ſequuntur ſententiam integram Scripturam intelligunt, ſiquidem vox legis ita quandoque ſumitur in N. T. At Joſephum videmus per vocem illam ſolos quinque libros Moſis intelligere, & ſic communiter Judæi. Huic ſuffragatur Hieronymus, qui etſi primum cum reliquis Patribus totam verſionem τῶν LXX. quandoque adſcriberet (hoc enim communis erat ſententia) poſtmodum tamen collatis frequenter Hebræis Græciſque codicibus, quod alii Patres tanta cum ἀκριβείᾳ non fecerunt, ac maxima deprehenſa diſcrepantia, (quam Ariſteas à verſione LXX. removet dubitare cœpit. Sic enim loquitur Comment. in Mich. cap. 2.

Inter-

Interpretatio LXX. *ſi tamen* LXX. *eſt (Joſephus enim ſcribit & Hebræi tradunt, quinque tantum libros Moſis ab eis tranſlatos, & Ptolemæo regi contraditos) tantum diſcordat in præſenti loco ab Hebraica veritate, ut nec capita poſſimus ex æquo ponere, nec eorum ſimul ſententias explicare.* Sicut autem Waltonus Hieronymo dubitanti opponit Patres alios, ſic Joſepho Judæo opponit Ariſtobulum Judæum, 200. circiter annis Joſepho anteriorem. Is apud Euſeb. præp. Euang. *Totam Scripturam Sacram*, ait, *Demetrii Phalerei opera, & regis Philadelphi juſſu rectè tranſlatam.* Verba tamen Ariſtobuli poſſint videri dubia. Sic enim habetur in Græco: ἡ δ᾽ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ νόμου πάντων. *Integra verò omnium quæ in lege ſunt, interpretatio.* Ex hâc teſtimoniorum diſcrepantia nata eſt tertia opinio, quam inter duas præcedentes veluti mediam, tuetur *Job. d'Eſpeires de Verſ.* LXX. totam quidem verſionem eſſe factam ab iis LXX. viris, non autem eodem tempore quo pentateuchus, ſed poſtea, nempe vel Alexandriæ, poſtquam uti rex, teſte Ariſtea, petierat, rediiſſent, vel Hieroſolymæ. Hunc Joſephi authoritate victus ſequitur Voſſius pag. 15. *Rectè Joſephus ſolos Moſis libros à* LXX. *Interpretibus verſos fuiſſe ſcribit, cætera quippe ſacra volumina, quamvis ab iiſdem interpretibus tranſlata fuere, quia tamen non ab omnibus ſimul ſed ſeorſim à ſingulis, aut paucis ſimul conſcripta ſunt, non rectè* LXX. *interpretum eſſe dicitur.* Recedit ergo hac in parte ab aliorum ſententia, quod non ab omnibus interpretibus tranſlatos fuiſſe reliquos Scripturæ libros ſtatuit ſed à paucis, carpitque Patres omnes qui LXX. interpr. verſionem dixerunt. Unde & minorem iis tribuit authoritatem: *Quamvis longe minus*, inquit, *tribuendum ſit authoritati ſequentium S. Scripturæ librorum, quos aut pauci aut ſingulares tranſlulere interpretes,*

 quam

Digitized by Google

quam verſione pentateuchi, &c. Cęterum planè ludicrum eſt, quod addit: *Cum itaq; diſpar pentateuchi à cæteris ſacris libris ſit ratio, nequaquam mirum debet videri, ſi in poſterioribus, Pſalmis dico, Prophetis, aliiſque hagiographis longe liberius graſſati ſint Judæi ac in Moſaicis ſcriptis, in quibus quod authoritate maxima, ac inſuper anathemate in corruptores eſſent munita, nunquam auſi ſunt aliquid depravare.* R. An tam citò oblitus es, Voſſi, quod in Præfatione dixeras? *Cum viderent* (Judæi) *tempus adventus Meſſiæ præteriiſſe, expleti quippe erant anni ſex mille à creatione mundi, ut lucrarentur annos bis mille tota quatuordecim ſecula è codicibus ſuis expunxerunt.* At conquerebaris iſta quatuordecim ſecula eſſe expuncta in annis Patriarcharum & Cainane ab Adamo uſque ad Abrahamum, quod flagitium, ajebas, tam à Judæis quam Samaritis commiſſum fuiſſe, & ab Africano primò obſervatum. Quare ergo dicis hic Judæos in ſcriptis Moſaicis nihil auſos fuiſſe depravare? Vide quomodo tibi conſtes & quam incautè in hac controverſia verſeris.

Atque hæ ſunt variantes de verſionis authoribus ſententiæ. Eligat lector, quam veriſimiliorem judicaverit, nec quicquam in eo ſitum momenti, ſive à LXX. ſive ab aliis libri ſacri ſint tranſlati modò ante Chriſti adventum tranſlatos eſſe conſtet. Cl. Uſſerius ex fine libri Eſter, ubi anni quarti Ptolemæi (nempe Philometoris, qui 100. annis Philadelpho fuit poſterior) & Cleopatræ fit mentio, conjicit, tum temporis in Ægypto procurantibus duobus Judæis Onia & Doſitheo, integram V. T. verſionem eſſe factam, ſed liberiori interpretandi modo, quam LXX. qui ſolo pentateucho vertendo occupati textum Hebræum exactè ſequuti erant. Iſtam poſteriorem verſionem poſtmodum titulo LXX. Interp. fuiſſe nobilitatam,

tatam, ejuſque duas exſtitiſſe editiones, alteram puriorem, alteram corruptiorem, quam Hieronymus *κοινὴν* communem ſeu vulgatam dixerit. Hanc apud Helleniſtas tam Judæos quam Chriſtianos in perpetuo uſu fuiſſe, & idcircò etiam ab Evangeliſtis & Apoſtolis citatam, ita tamen ut nimium corrupta eſſet, ad fontes Hebræos recurrerent. Illius autem exemplar ab Herode in Cleopatrinam Bibliothecam fuiſſe miſſum. Poſtquam enim Regis Philadelphi Bibliotheca, in qua ipſum LXX. Interp. autographum aſſervabatur, in bello Alexandrino à Julio Cæſare geſto flammis abſumpta eſſet, novam ibidem in Serapeo à regina Cleopatra fuiſſe conſtitutam, quam Herodes purioris iſtius editionis à Judæis recognitæ munere ditavit, cujus apographum poſtmodum in Origenis manum inciderit qui illud ſuis Hexaplis ſub titulo germanæ τῶν LXX. verſionis adjunxerit. Adeoque aliquos ex Patribus, Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Chryſoſtomum fuiſſe deceptos, qui Philadelphi Bibliothecam à Cleopatrina non diſcernentes, nec exemplar illud purioris editionis ſub *nomine LXX,* quod in Cleopatrina erat, à genuino τῶν *LXX. pentateucho* qui in Philadelphica olim fuerat; in hâc ipſum LXX. autographum ſuo adhuc tempore exſtitiſſe arbitrati ſint. Utramque editionem ab Origine hexaplis fuiſſe inſertam, ſed *κοινὴν* illam ab ipſo caſtigatam, nempe ſi quid deeſſet, id ſub notâ aſteriſci ſupplebat ex *verſione* Theodotionis (tres enim illi Symmachus, Aquila, & Theodotion, Judæi proſelytæ novam ſinguli ex Hebræo Græcam ſecundo poſt Chriſtum ſeculo adornarant ſinguli.) Si quid redundaret, id appoſito obelo transfigebat, ut teſtatur Hieronymus. Itaque erraſſe Epiphanium qui ſupplementa ex Aquilæ & Symmachi verſionibus

Digitized by Google

ſionibus facta exiſtimaret. Sic verò Originem opus ſuum compaginaſſe, ut primus ipſius labor fuerint *tetrapla*, in quibus, teſtante Euſebio, quatuor columnis diſpoſuerit verſiones Græcas quatuor, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & LXX. puriorem quam habuerit deſcriptam ex Cleopatrina Bibliotheca. Poſtmodum compoſuerit *Hexapla*, ubi in prima columna comparuerit textus Hebræus Hebræis characteribus deſcriptus, in ſecunda idem textus deſcriptus charåcteribus Græcis, in tertia, quarta, quinta, verſiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, in ſexta purior LXX. editio, in ſeptima, κοινὴ illa obelis & aſteriſcis ut ante dictum, inſtructam. Sic teſtari Hieronymum, cum dicit: *Origenes aſteriſcos fecit, ex tranſlatione Theodotionis aſſûmens, ut componeret volumina, quæ vocantur Hexapla*. Hexapla nim. non quod tantum ſex columnæ fuerint, ſed ſex editiones, duas enim columnas occupabat textus Hebræus ſub diverſis characteribus. Atque hoc inſigne opus in Cæſarienſi Bibliotheca fuiſſe depoſitum. Tandem eundem Origenem etiam *tetrapla* compoſuiſſe, additis adhuc aliis incertorum autorum verſionibus, quas quintam, ſextam, & ſeptimam appellarunt, ſic ut utrâque LXX. pro una ſumptis, comprehenſoque textu Hebræo octo fuerint editiones. Sed de iſtis òctaplis nihil certi. Intereuntibus verò Origenis tetraplis, hexaplis & octaplis, interiiſſe ſimul puriorem illam τῶν LXX. editionem, ſolamque κοινὴν, qualis ante Originem fuerat, remanſiſſe. Hanc uſq; ad Hieronymi tempora pro regionum varietate variantibus exſtitiſſe exemplaribus. Aliud enim fuiſſe exemplar Ægyptiorum & Alexandrinorum qnod recognoverat *Heſychius* Epiſcopus Ægyptius, qui in decima perſecutione circa ann. Chr. 300. martyrium ſubiit

ſubiit. Aliud Conſtantinopolitanorum & Antiochenorum à *Luciano* martyre circa ann. 310. recognitum. Aliud Palæſtinorum ab Euſebio & Pamphilo iiſdem temporibus evulgatum. *Totum orbem*, ut ait Hieronymus, *hâc inter ſe trifaria varietate compugnaſſe*. Ac Paleſtinos quidem ante Origenis tempora puriore illa τῶν LXX. fuiſſe uſos, poſt vero ejus tempora, κοινὴν illam ab Euſebio & Pamphilo, quibus ad Cæſarienſem Bibliothecam patebat aditus, ex hexaplis Origenis fuiſſe interſtinctam, ita nim. ut quæ in κοινῇ deerant, ea ex Aquila, Symmacho, & Theodotione (quod Origenes ex ſolo Theodotione fecerat) in margine per aſteriſcos ſupplerent. Per lemniſcos autem notarent quæ aliter in κοινῇ erant reddita quam à tribus illis ſeu in editione puriore. Obelos verò quod attinet, quibus Origenes redundantia deſignaverat, an illi ab ipſo Euſebio an verò in ejus apographis, ut honori verſionis conſuleretur, poſtmodum neglecti fuerint, incertum, non enim comparent amplius in ullo exemplari. Hujus Euſebianæ editionis exemplar juſſu Conſtantini M. Conſtantinopolim *fuiſſe miſſum*, indeque ut ex arce imperii in cæteras provincias propagatum. Quæ verò hodie exſtant exemplaria, partim typis mandata, inter quæ eminent editio Complutenſis, in regiis apud Plantinum, Commelinum item, & in Pariſienſibus Polyglottis expreſſa, Veneta ſeu Aldina in Germania ſæpius excuſa, & Romana Sixtina in Polyglottis Anglicanis repræſentata, partim manuſcripta in Bibliothecis latentia, ut Rupefucaldianum illud & Barberinum itemque Alexandrinum à Thecla muliere ſcriptum. & ad Carolum Angliæ regem à Cyrillo Conſtantinopolitano Patriarcha miſſum, generis eſſe mixti, non enim τὴν κοινὴν exactè referre (nedum puriorem τῶν

LXX. quæ cum hexaplis perierit) nec etiam codicem Euſebianum, ſed partim expunctis obelis exhibere quæ Origenes ut ſuperflua obelo notavit, partim obelo notata reſecare, partim in ipſum textum intrudere quæ lemniſci & aſteriſci ex aliis deſumpta ad marginem deſignaverant. Omnia tamen ſub titulo LXX. Interpretum. Hactenus ferè Cl. Uſſerius in ſuo, quod de iſtis Interp. ex ſcriptis Patrum & laborioſa exemplariorum collatione conſcripſit, ſyntagmate. Cujus judicio ſi-ſtandum, quicquid hodie ſupereſt ſub LXX. Interpr. titulo, id viris iſtis nunquam viſum.

Aliter tamen ſentit Cl. Waltonus, qui prout univerſam tranſlationem ab ipſis LXX. abſolutam, nec ab ullo poſt eos uſque ad Symmachum novam tentatam verſionem contendit, ſic ejus apographa ipſius Philadelphi conſenſu ut Ariſteas teſtatur, exſcripta in omnium fuiſſe manibus. Et licet ipſum autographum una cum Philadelphica perierit, in Cleopatrina tamen ex apographis quam correctiſſimum exemplar fuiſſe reſtitutum. Quod autem in calce libri Eſter anni 4. Philometoris fiat mentio, id à Græco quodam ex antiquitatibus Joſephi, ut obſervavit Sixtus Senenſis, fuiſſe aſſutum, adeoque inde non poſſe fieri argumentum, aliam poſt LXX. totius V.T. verſionem factam eſſe. Vulgatam ergo ſeu κοινὴν τῶν LXX. aliam non fuiſſe quam quæ apographis authentici illius codicis LXX. virorum non nomine tantum ſed & reipſâ exhibebatur, quam lapſu temporis & exſcriptorum incuria imò & temeritate variis in locis vitiatam primus Origenes ut puriorem haberet, ex exemplari quod in Cleopatrina Bibliotheca aſſervabatur, exſcripſit, eccleſiæque tradidit primò in tetraplis, additis verſionibus Aquilæ,

Theo-

Theodotionis & *Symmachi*, poſtmodum etiam in hexaplis, additis duabus columnis quæ textum Hebræum diverſis characteribus oſtenderent. Adeoque hexapla fuiſſe dicta, non quod ſex editiones contineret (ut putabat Uſſerius, qui verſionem puriorem à communi aſteriſcis inſtructa diverſam diſtinctis columnis fuiſſe exhibitam contendebat) ſed quod ſex columnis conſtaret. Non tamen negari, in hexaplis comparuiſſe obelos & aſteriſcos, quibus verſionem ab additamentis ex Theodotione, teſte Hieronymo, diſtinxerat Origenes, ſed negari iſtas notas fuiſſe additas editioni puriori à κοινῆς diſtinctæ, ſiquidem ipſa κοινὴ erat purior illa, quatenus de novo ex Cleopatrino exemplari deſcripta. Eandem κοινὴν ab Euſebio & Pamphilo ex hexaplis fuiſſe deſcriptam pro Paleſtinis, à Luciano fuiſſe recenſitam & cum Hebræo textu, teſte Euſebio, collatam pro Antiochenis, ab Heſychio pro Alexandrinis. Quod verò Hieronymus de iſtarum editionum varietatibus dicat id hyperbolicè potius, & ut novæ ſuæ verſioni Latinæ majorem exiſtimationem conciliaret, quam ſecundum rei veritatem fuiſſe dictum. Cæterum hodierna apographa ſive manuſcripta ſive typis evulgata eandem adhuc κοινὴν τῶν LXX. exhibere, etſi in pleriſque, præſertim quæ ex Euſebiana editione, ubi aſteriſcorum juxta Origenis Hexapla, unde deſumpta erat, habebatur, aliqua appareat interpretationum confuſio, ut ſupra obſervatum. Sic fere Waltonus, qui in eo duntaxat ab Uſſerio diſſentit, quod non niſi únicam agnoſcat vulgatam ſeu κοινὴν LXX. verſionem, ab ipſis LXX. profectam, quę uſq; ad tempora Origenis non niſi in prototypi apographis exſtiterit, poſtmodum verò in diverſarum editionum à diverſis recognitarum apographis propagata, ad

 manus

manus noſtras tandem pervenerit. Uſſerius verò verſionem à LXX. diſtinctam ſed ſub eorum nomine divulgatam, cujus ante tempora Origenis duæ editiones exſtiterint, purior nempe & κοινὴ ſeu communis contaminata, quarum illa cum hexaplis perierit, hæc ad nos ex variarum recognitionum editionibus variis confuſa modis dimanarit. Utram ſententiam lector ſequi velit, nobis perinde, præcipua quippe difficultas in caput ſequens incidit.

Cap. XXXII.

De diſcrepantia inter LXX. *& Textum Hebræum.*

SI Ariſteæ verba conferantur cum verbis Santis Pagnini, (qui ſuperiori ſeculo primus poſt Hieronymum conſenſu Pontificis verſionem Latinam ex Hebræo aggreſſus eſt) ilicò graviſſima difficultas ſe aperit. Teſtatur Ariſteas, maximam fuiſſe inter verſionem LXX. & Hebræum codicem conſonantiam, ita ut ea abſoluta, factaque collatione ab omnibus acclamatum ſit, Sanctè & fideliter ſingula eſſe tranſlata, ut nihil addi, nihil demi poſſet. Longè aliter *Pagninus Iſag. cap. 9. Nos ſummo ſtudio, curâ, & diligentiâ* LXX. *Interpretationem cum Hebræo contulimus, & tot invenimus addita, dempta, depravata, immutata, & ab Hebraico prorſus aliena, ut mihi perſuadere nequeam, illam eſſe* LXX. *interpretum.* Hinc ergo unum ex tribus neceſſariò concludendum, vel ab alio eſſe iſtam verſionem quam à LXX. vel ipſorum apographa inſigniter fuiſſe depravata, vel ab eorum tempore textum Hebrǫum fuiſſe immutatum, & mutilatum. In primam ſententiam videbatur olim inclinare Hieronymus ſed dubitanter, & poſt ipſum Pagninus, & confidentius Cl. Uſſerius, de quo

Cap.

Cap. præc. In ſecundam plerique Pontificii, Bellarminus imprimis, & cum ipſo Cl. Waltonus, de quo ſupra. In tertiam aliqui ex Pontificiis, quibus tamen cautè hac in re agendum. Nam Tridentini Patres vulgatam Latinam pro authentica agnoverunt, inter quam & textum Hebræum major conſonantia, quam inter eundem textum & LXX. Qui ergo textum Hebræum condemnat, etiam condemnat Romanę Eccleſię textum authenticum. Ita ergo ſtilum ſuum hactenus attemperarunt Jeſuitæ, ut textum Hebræum corruptionis accuſaturi, in iis duntaxat locis eum aggrediantur ubi diſcrepare videtur à vulgata. Sic enim impunè in eum graſſari licet, quia magno ſuo hyperaſpiſta Papa Romano tum deſtituitur. Imprimis verò in annis Patriarchalibus nemo ipſum tangere fuit auſus, quia vulgatam verſionem à partibus ſuis ſtantem habet. Primus tamen Morinus iſtum Rubiconem tranſiit, ſed tam verecundè ut cum Baronio rem ut indeciſam in medio relinquere malit, quam certi quid ſtatuere. At noſter Voſſius, qui Hagæ-Comitis ſecurè reſidens à *fulmine Pontificio* ſibi non metuit, hic graſſatur liberius, ac *ſuſque* deque habita Latina vulgata, præcipuam culpam in textum Hebræum rejicit. Verum ipſius ratiunculas *vidimus* & confutavimus. Nec tantum affert momentum pro cauſa textus frænum illud verſionis vulgatæ, quod *ſolum* Pontificios Doctores remoratur, (potuit *enim ille* ante Hieronymum iſtius verſionis authorem fuiſſe corruptus) quantum ipſa ratio & univerſa antiquitas. Nam uſque ad tempora Apoſtolica textum Hebręum fuiſſe purum omnes agnoſcunt. Poſt eorum tempora nemo Patrum corruptionis eum inſimulat. Econtra non tantum Hieronymus novam ex eo adornavit verſionem,

Digitized by Google

ſed & ante eum Origenes in Hexaplis verſionem LXX. per aſteriſcos & obelos caſtigavit ex nova verſione Theodotionis, invicto indicio, Theodotionem aliter reperiſſe in Hebræo quam vel Origenes vel nos hodie in Græco, adeoque ex incorrupto textu tranſtuliſſe. Cui enim bono tam immenſum laborem ſuſcepiſſet Origenes ſi Theodotionem ex depravato codice tranſtuliſſe cenſuiſſet. Quin & Lucianum ad codices Hebræos recenſuiſſe verſionem LXX. teſtatur Euſebius. Ineptè, ſi codices iſti erant corrupti. Reclamare etiam diximus ſtupendam illam in conſervanda fontium puritate diligentiam, adeoque verè concluſum, textum originalem non debere corrigi niſi ex ſeipſo.

Reſtat ergo, ut vel prima vel ſecunda ſententia ſit vera. Nos, prout Verſionem textui æquari aut ſupra eam extolli non permittimus, ſic nec eam nimium deprimi probamus. Facile ergo Bellarmino & Waltono largimur, apographa hodierna referre eandem communem verſionem ex ipſo LXX. autographo ejuſque apographis ſucceſſivè exſcriptam, nec aliam ante Chriſti tempora translationem extitiſſe. Quod antem illud probare ſatagunt ex convenientia citationum, qua loci ab Apoſtolis & Patribus ex LXX. citati cum hodiernis exemplaribus conveniunt, eſt inconſequens. Potuit enim poſt LXX. ante Chriſtum, alia exſtitiſſe verſio, ut vult Uſſerius, qua perpetuo uſa ſit eccleſia. Nec enim Apoſtoli dicunt, quis receptæ verſionis fuerit autor, nec patrum, etſi plerique ita perſuaſi eam τοῖς LXX. (quos tamen ſolam legem Moſis tranſtuliſſe ait Joſephus) tribuerent, eadem omnium fuit ſententia. Adeoque quid his certò ſtatuendum difficile dictu eſt. Militat pro Waltono, quod Ariſteas teſtatur,

tur, regem Philadelphum Judæis conceſſiſſe ut authenticum τῶν LXX. tranſcriberent. quæ apographa non potuerunt ante Chriſtum omnia interiiſſe, ut novam conficere verſionem neceſſe fuerit. Sed pro Uſſerio facit, primò, quod in calce libri Eſter fiat mentio Ptolemæi & Cleopatræ, quorum regnum 100. annis Philadelpho poſterius fuit, ſecundò, magna illa diſcrepantia inter verſionem & textum Hebræum, quam Ariſtæas in genuina τῶν LXX. non agnoſcit. Prima quidem ratio à Waltono ſufficienter, uti vidimus, refutata videtur, adeo ut Uſſerii ſententia de nova verſione eatenus non niſi mera conjectura ſit. Ut ergo ſecundæ rationi ſatisfiat vel rejicienda omnis culpa non in interpretes ſed in librarios, vel mitigandum eſt Ariſtææ teſtimonium (quod etiam Philo Judæus confirmavit) de accuratiſſimo illo conſenſu inter textum & verſionem LXX. In librarios rejici poſſunt 1. tranſpoſitio librorum, capitum, peridiorum. 2. Omiſſiones. 3. Literarum ſphalmata. 4. Corruptelæ omnes voluntariæ quę textui adverſantur. 5. Additiones quæ in textu non reperiuntur. *At liberum* illud interpretandi genus quo paſſim utuntur LXX. ſenſum duntaxat Hebraiſmorum reddentes eumque ſæpenumerò paraphraſticè, non ipſam phraſin, id ſanè librariis tribui non debet ſed ipſi interpreti, qui enim hoc agit, is non agit caſu, nec ſimpliciter aliquid addit, aut tranſponit aut mutat, ſed continuato ſtudio agit interpretem; quod ab exſcriptoris inſtituto eſt alienum. Hic ergo mitigandum neceſſariò teſtimonium *Ariſteæ* & Philonis, ac dicendum, eos per admirabilem illum rerum & verborum conſenſum aliud non intelligere, quam LXX. ita eſſe interpretatos ut verba rebus optimè congruerent, adeoque non tam verba qnam ſenſum red-

reddidiſſe. Hoc an mentem Philonis adæquet, qui dicit lib. 2. de vita Moſis. *Reddita ſunt propria propriis nominibus, Græcis ad Chaldaica* (i. e. Hebraica) *exactè reſpondentibus. Id experimentis quotidianis creditur, ſive Chaldæus Græcam linguam, ſive Græcus Chaldæam didicerit, in utraque Scriptura, tum Chaldaica tum ejus interpretatione, miratur germanitatem, imò rerum verborumque conſonantiam adorat*, judicet lector. Ego volo hic ἐπέχειν, ac interim largiri verſionem quam habemus eſſe genuinum fœtum τῶν LXX. juxta communem patrum fidem, etſi rationes tanti ponderis non ſint ut aliquam illud credendi imponere nobis poſſint neceſſitatem. Atque hactenus quidem facilis erit aſſenſus, modò ne textus Hebræi authentia vocetur in dubium ubi verſio ei contradicit. Hoc enim, ut ſuo loco monemus, valdè periculoſum. Non ergo eſt quod Cl. Waltonus de nobis hic conqueratur, ut de aliis: *Eſſe recentiores, qui Hebraicæ veritati vel vulgatæ Latinæ honorem debitum exhibere ſe non putent, niſi in Græcam verſionem involent & tantum non pedibus conculcent.* Datur via media. Debitum & verſioni honorem exhibemus, ſed non indebitum, quod fit quando authentia textui per interna principia non convicto adempta transfertur in verſionem, etſi non niſi humanis authoritatibus fultam. Quo nomine habemus quod de Waltono conqueramur ubi agit de Chronologia Hebræorum.

Cap. XXXIII.

Argumentum primum proſagogicum pro authentia Verſionis.

CONtroverſiæ ſtatu de LXX. Int. Verſione ſufficienter expenſo, ſequitur ut agamus de authentia quam ei defert Voſſius, non quidem abſolutè ſed ex parte dun-

Digitized by Google

taxat, ſaltem quoad Chronologiam. Argumentum primum hoc eſto: *Quæ verſio eſt divinitus inſpirata, ea debet eſſe authentica in Eccleſia. At verſio* LXX. *talis eſt. Ergo,* &c. Majorem admittimus, eo enim fundamento Textum Hebræum dicimus authenticum, non tantum quia eſt originalis & omnium antiquiſſimus, quam prærogativam verſio ei diſputare nequit, ſed & quia eſt θεόπνευστος. Ubi notandum, nullam verſionem poſſe abſque contradictione dici divinitus inſpiratam, ſi θεοπνευστίας nomen ſumatur in primo gradu doni prophetici, ut in principio ad quæſtionis ſtatum fuit obſervatum. Sed Voſſium loqui arbitror de gradu ſecundo qui *infallibilitatis* dicitur. Sic ergo negatur Minor. Eam probat. 1. à Patrum teſtimonio Pag. 84. *Sic ab Apoſtolorum temporibus fuiſſe creditum ab omnibus Chriſtianis, exceptis duntaxat paucis nimio plus faventibus ſequiorum temporum Judæis.* 2. Ab incommodo: Si non fuit divinitus inſpirata, *miſeram tum fuiſſe conditionem Eccleſiæ, quæ vera & legitima caruerit Scriptura, quandoquidem ſola contenta fuit* LXX. *interpretum tralatione. Scilicet ſuperiori ſeculo, quando verſiones ad fidem Maſoretici exemplaris procudi cœperunt, tum demum cœpiſſe S. Scripturam exſtare, tum demum Spiritum Sanctum per os Judæorum cœpiſſe veros S. literarum ſenſus expromere.* 3. à Peritia interpretum: *Si ſit aliqua verſio, quæ* θεόπνευστος *dici meruerit, ecqua alia quærenda eſt præter illam quam* LXX. *Interp. viri linguæ Hebraicæ, utpote ſibi vernaculæ longè peritiſſimi & inter ſe conſentientes ad antiquos & intaminatos adornarunt codices, quorum laborem adprobarunt & ſecuti ſunt Apoſtoli & univerſa Eccleſia.* 4. Eſt ergo quarta ratio, *conſenſus.* 5. *Approbatio* Apoſtolorum & Eccleſiæ. 6. *Uſus.*

R. 1. Magnificè quidem ſenſerunt multi veteres de

Digitized by Google

iſta verſione propter conſuetum ejus uſum in Eccleſia, ita ut Sanctam & divino afflatu factam prædicarent. Sed explicandum fuerat, quomodo hoc intelligerent. Præter enim donum illud propheticum ſeu infallibilitatis afflatum, erat hodieque eſt afflatus ordinarius, quo omnes Dei ſervi ſua ſcripta concinnant, quæ tamen fidei vitæque norma non ſunt quia errori obnoxia. Si qui de afflatu prophetico hoc intellexerunt, id perſuaſum ipſis ex fabella Judaica de 70. cellulis. Non enim ſine influxu prophetico fieri potuit ut tam parvo temporis ſpatio ſinguli in totidem cellulas diſtributi & à ſe invicem ſeparati integram ſcripturam tranſtulerint, ac poſtmodum peracto labore operiſque collatis tam admirabilis deprehenſus inter eos conſenſus fuerit, ut ne vel in minimo à ſe invicem variarint. Sed quanta fides debeatur Judæis in relationibus hiſtoricis, præſertim nugatoribus Talmudicis norunt omnes, cum ne quidem conſentiant quos libros LXX. tranſtulerint, qua in re Judaicus ille fabulator Joſephus Gorionides contradicit Joſepho Græco, imò ipſis Talmudicis, qui ſolum Pentateuchum tranſlatum fuiſſe apertè ſtatuunt Cod. Megil. cap. 1. אמר ר' יהודה אף כשהתירו רבותינו יונית לא התירו אלא בספר תורה׃ *Dixit R. Juda, cum permiſerunt magiſtri noſtri interpretationem Græcam, non permiſerunt niſi quoad librum legis.* Sed Ariſteæ acceptum ferimus quicquid ejus rei credimus, qui non loquitur niſi de lege & ne γρῦ quidem de cellulis illis. Adeo ut flocci faciamus omnia Patrum hâc de teſtimonia, qui ſi textum Hebræum cum Græco conferre potuiſſent, laxumque illud interpretandi genus quo utuntur LXX. cum recentioribus, etſi plurimum iſti verſioni tribuentibus, agnoſcere, iſtis Judaicis fabellis facilè fidem dero-

Digitized by Google

derogaſſent. Unde miror longè doctiſſimi illius Waltoni in Prol. ad Polyg. judicium, qui nec θεοπνευστίαν nec authentiam iſti tranſlationi tribuens, tamen quod Chronologiam, ſolius Eccleſiæ veteris & Patrum authoritate victus, eam Hebræo textui præfert. Cum nulla ſit ratio, quare ſi iſtis teſtimoniis ſtandum, non ſit habenda pro ſcripto θεοπνεύστῳ. Nec mirum, quod Patres aliam Chronologiam non agnoverint, ſi eam quam habebant, ex θεοπνευστίᾳ traditam crediderunt.

2. Incommodum quod prætenditur nullum eſt. Etſi enim plerique verſioni maximè eſſent addicti, nunquam tamen defuerunt in Eccleſia Doctores, qui textum originalem & authenticum à verſione diſcernere noverant, imò qui hanc ex illo recognoſcerent, etſi propter linguæ Hebrææ imperitiam id à paucis fieri poſſet. Nec ideo jacturam ſalutis faciebant quod ad fontes non recurrerent, habebant enim in verſione utut depravata omnia fundamenta ſalutis, quæ Deus ne quidem in verſionibus deperire permiſit. Tum & conſiderandum priſcis temporibus ex recognitione Origenis & aliorum verſionem LXX. longè puriorem fuiſſe, ac nunc confuſis obelorum & aſteriſcorum notis reperitur. Adeoque non magis miſera tum erat conditio Eccleſiæ, atque nunc eſt, ubi pauciſſimi non dicam ex vulgo ſed ipſorum quoque Paſtorum ex fontibus vel ipſi diſcunt, vel docent populum, ſed ex ſolis verſionibus tanquam ex textu ſibi authentico (etſi non niſi ignariſſimi eum pro tali habeant) myſteria ſalutis explicant. Nec ideo Romanę Eccleſię conditionem dicimus miſeram, quod verſionem vulgatam & authenticam obtrudat, ſed quod fidei & ſalutis fundamenta quam vel corruptiſſima tranſlatio ſubminiſtrare poteſt, pervertat.

 3. Quic-

3. Quicquid autem veteres de ſuis LXX. ſenſerint, non poſſum ſatis mirari imprudentiam Voſſii, quod eorum θεοπνευστίαν aſſerat, & tamen pag. 16. *longè minus tribuendum eſſe authoritati ſequentium S. Scripturæ librorum, quos aut pauci aut ſingulares tranſtulere interpretes, quam verſioni pentateuchi*, ſtatuere non dubitet. Quid hoc eſt? Ergo-ne major eſt authoritas pentateuchi poſtquam à LXX. Judæis Helleniſtis fuit tranſlatus in linguam Græcam, quam cum Moſes eum Hebraicè conſcriberet? Videtur quod ſit juxta Voſſium, nam Moſes vir unus tantum erat, illi autem LXX. In genere ſcriptorum θεοπνεύστων minus eſſe tribuendum authoritati ſcripti, quod ab uno homine profectum eſt quam quod à pluribus, hactenus ignorabam, ſiquidem exiſtimabam Spiritum Sanctum tam infallibiliter veritatem poſſe dicere per os unius, atq; per ora plurium, adeoque hujuſmodi ſcriptorum authoritatem ſemper eſſe æqualem. Sed videtur mihi Voſſius non ſatis expendiſſe quid ſit ſcriptum θεόπνευστον, uti conſtat ex rationibus ſequentibus.

4. Ratio tertia qua iſtam θεοπνευστίαν demonſtrat eſt *peritia* linguæ Hebraicæ quam Interp. illi habebant, utpote ſibi vernaculæ. R. 1. Imperitè loquitur, quod linguam Hebræam iſtis Judæis dicat vernaculam. Poſt Babylonicam captivitatem iſta lingua nulli genti fuit vernacula, nec erit vernacula uſque ad finem mundi. Vernacula autem erat dialectus Chaldaica, qua ad captum vulgi publicè utebantur in ſacris. Verum eſt, genus illud ſermonis ex Hebraiſmo & Chaldaiſmo mixtum hodie Rabbinis admodum familiare eſſe, ſed non magis ipſis eſt vernaculum ac Germanis aut Gallis ſermo Latinus. 2. Pone fuiſſe vernaculam. Etiam lingua Belgica fuit vernacula tranſla-

Digitized by Google

tranſlatoribus Belgis· Inde autem, tranſlationem noſtram Belgicam aut in Gallia Gallicam eſſe propheticè inſpiratam, nemo ſanus concludet.

5. *Conſenſus* ille dupliciter concipitur, vel ex θεοπνευστία erat vel ex collatione. Si θεοπνευστίας conſenſum intelligit, qui inter LXX. illos fuerit labore peracto, antequam ex ſuis cellulis ſinguli egrederentur, ſic nego argumenti minorem: Diximus enim eſſe fabulam quæ de iſto conſenſu & cellulis narrantur. At ſi collationis conſenſum, nego conſequentiam majoris, nempe qui ita conſentiunt, eos producere ſcriptum θεόπνευστον. Nam & tranſlatores Belgæ inſtituta collatione conſentientes erant, ſed non ideo Prophetæ.

6. *Approbatio* Apoſtolica & Eccleſiæ veteris non concludit ad θεοπνευστίαν. Quæ Apoſtoli ex ſcriptis gentium citarunt, ab iis proculdubio fuerunt approbata, aliàs non citaſſent. Sed inde non ſequitur quod Scriptores illos ethnicos pro viris θεοπνεύστοις habuerint.

7. Idem de *uſu* dicendum. Non ideò LXX. pro viris *θεοπνεύστοις habiti ſunt* ab Apoſtolis quod eorum tranſlatione uterentur. Res enim ipſis erat cum Judæis & Helleniſtis quibus iſta tranſlatio erat familiaris. Quid ergo convenientius, quam ut Euangelii veritatem ipſis perſuaderent ex S. Scripturæ principiis juxtam linguam & verſionem ab ipſis receptam? Quid ſi Doctor aliquis reformatus contra Pontificios diſputaret ex verſione vulgata ipſis familiari, an idcircò eam divinitus inſpiratam approbat? quod ne ipſi quidem prudentiores Pontificii affirmaverint, etſi ipſis ſit authentica, quod tamen abſurdum, nullus enim textus non θεόπνευστος debet eſſe authenticus in negotio religionis.

CAP. XXXIV.

Argumentum ſecundum Proſagogicum pro Verſione.

QVa verſione uſi ſunt Evangeliſtæ, Apoſtoli, & primorum ſeculorum Eccleſia, illa eſt authentica. At τῇ LXX. *verſione ſunt uſi. E.* &c. Sic longè tolerabilius formatur argumentum ab uſu verſionis ad authentiam quam, quod Voſſius facit ad ejus θεοπνευστίαν. Quod enim longo uſu eſt receptum id quidem quadantenus authenticum dici poſſit, ſicut leges Juſtinianeæ apud Juriſperitos ſunt authenticæ, ſed non ilicò θεόπνευστοι. Adeoque differunt iſta duo, θεοπνευστία & authentia, etſi in principiis veræ religionis neceſſario debeant conjungi. Ex θεοπνευστίᾳ ſequitur authentia, ſed non vice verſa, ſi rem conſideres in genere. In religione verò etiam vice verſa debet ſequi. Ex θεοπνευστίᾳ ſequitur authentia, ut effectum ex ſua cauſa, quod enim non eſt θεόπνευστον non eſt principium religionis, adeoque non authenticum. Et viciſſim ex authentia ſequitur θεοπνευστία, non ut effectum ex cauſa, nam authentia non eſt cauſa θεοπνευστίας, ſed ut res ſignata ex ſigno, quod enim ita authenticum eſt in Eccleſia ut ſit fundamentum fidei, ſignum eſt, illud eſſe θεόπνευστον ſed ſaltem haberi pro θεοπνεύστῳ, vel quod ſolam rem vel etiam quoad modum. Nam, utut, verbi gr. Alcoranus non ſit ſcriptum θεόπνευστον, habetur tamen apud Turcas pro θεοπνεύστῳ, quia ita apud eos eſt authenticum, ut ſit fundamentum fidei Turcicæ. Hinc videmus, quomodo differat authentia à θεοπνευστίᾳ, & ſequi hanc ex illa in rebus duntaxat fidei ad ſalutem, non autem id aliis, adeoque facilius potuiſſe à Voſſio necti conſequentem in theſi ad authentiam, ut faciunt alii, quam ad ejus θεοπνευστίαν. Sed iſta explicationem termi-

norum

norum duntaxat ſpectant. Reſpondemus ad argumentum directè, & primò quidem ad minorem, deinde ad majorem.

Reſp. 1. *ad Minorem.* Propoſitio indefinita æquipollet univerſali. Sit ergo argumentum. *Quâ verſione perpetuo uſi ſunt Apoſtoli & Patres, illa eſt authentica.* Vel ſi placeat terminus particularis, hoc modo formanda eſt propoſitio: *Quâ verſione aliquando uſi ſunt Apoſtoli & Patres, illa eſt authentica.* Eligat hic Voſſius quam propoſitionem voluerit, utrobique ipſi hærebit aquâ. Si primam malit, nego ipſi minorem. Conſtat enim cum ex collatione locorum V. & N. T. tum ex ſcriptis Patrum, imprimis *Ignatii*, Dei verbum haud rarò ex textu Hebræo fuiſſe citatum. Si alteram eligat, reducatque minorem ad terminum particularem, naſcetur concluſio ἕωλος & inſipida. Argumentum enim tale erit. *Quo textu aliquando ſunt uſi Apoſtoli & Patres, is eſt authenticus. At quandoque uſi ſunt textu Hebræo, quandoque Græco, ergo uterque eſt authenticus.* Hic Syllogiſmus, etſi placere poſſit Voſſio, involuit tamen abſurditatem, quæ ipſius inſtituto æque ac veritati haud parum incommodabit. Abſurdum quippe eſt, duos habere textus authenticos, qui in linguis diverſis ſibi quandoque contradicant, ſiquidem in contradictionibus quæ per allelouchiam & paralleliam decidi nequeunt, alter alteri non cederet, ut in rebus Chronologicis, ubi tamen Voſſius jubet textum Hebręum cedere Gręco. Sed quare cederet ſi eſt æquè authenticus? Si verò dicat, utrumque textum in iis ſaltem locis fore authenticum, in quibus ab Apoſtolis & Patribus fuit uſurpatus, in inextricabiles difficultates ſe induit. Nam. 1. Quid fiet de iſtis locis, qui ex neutro textu à nemine citantur? Vel authen-

tici

tici illi ſunt vel non authentici. Si prius, citatio non facit authentiam, adeoque uterque textus per ſe eſt authenticus, utut non citatus. Et ſic alter alteri non cedet, ut ante. Si poſterius, uterque textus erit authenticus in partibus citatis, non autem authenticus in partibus non citatis, quod ineptum, imò impium. Eſt enim ac ſi-dicerem, locos citatos eſſe Dei verbum, non citatos haud ita. 2. Quid fiet de locis in textu Hebræo & Græco diſcrepantibus, & ex utroque citatis à diverſis? Penes quem textum erit authentia? 3. Vel ſoli Apoſtoli θεοδίδακτοι infallibiles ſuis citationibus authentiam conciliare poterant utrique textui, vel & alii. Si prius, nulla fuit authentia utriuſque textus ante tempora Chriſti, nec ulla ejus erit apud nos, niſi quoad loca in N. T. citata. Et quid tum fiet de Chronologia Voſſiana ex LXX. Int. conflata, quæ in Novo Teſt. nullum reperit fundamentum, niſi quis excipere velit Cainanem, de quo ſuo loco dictum. Si poſterius, quid hoc aliud eſt, quam putum putum hac in parte agere Papiſtam, qui verbi Divini authoritatem ab humano arbitrio ſuſpendit. Quocunque ergo ſe vertat, incidit in caſſes, ſi minor ſit particularis.

Reſp. II. *ad Majorem.* Quod ſi verò jam concederem minorem univerſalem, nihil adhuc actum. Præcipua enim reſponſio cadit in conſequentiam majoris, quæ ſive terminum temporis habeat univerſalem ſive particularem, ſemper tamen falſa eſt. Nullus enim ex Apoſtolis, nedum ex Patribus verſionem Græcam ſuis citationibus fecit authenticam. Hoc ut clarum fiat, diſtinguo inter *rem ſcriptam* & *ſcribendi modum. Res ſcripta* V. & N. T. eſt ipſum Dei verbum. *Scribendi modus* ſunt enunciationes & loquendi formulæ iſtius idiomatis ſeu linguæ in qua illud

ſcriptum

ſcriptum continetur. Dei verbum ſemper & abſolutè eſt authenticum, ſiquidem ejus authentiam Spiritus S. cordibus fidelium perſuadet, quacunque lingua aut quibuscunque enunciationibus illud ſit expreſſum. Non enim in iſta perſuaſione ſpectatur modus ſed res. Lingua verò & loquendi formulæ non poſſunt dici authenticæ, niſi quatenus fluxere ex calamo viri θεοπνεύστου. Nemo enim affirmaverit, verbum Dei in lingua Gallica, &c. eſſe authenticum quoad modum, & tamen in iſtis linguis nobis eſt authenticum quoad rem. Quemadmodum diploma regium in omnibus linguis quibus ſubditi diverſarum gentium illud excipiunt, eſt authenticum quoad rem, quoad modum verò in ea duntaxat linguâ eſt authenticum in quâ rex illud dictavit ſuo Secretario. Niſi ergo demonſtretur, verſionem illam Græcam à viris θεοπνεύστοις eſſe confectam, nulla ei quoad modum ineſſe poteſt authentia. Jam ſi roges, annon Apoſtoli θεόπνευστοι authentiam iis conciliaverint locis quos ex V. T. citarunt? R. Non conciliaſſe neque quoad rem neque quoad modum, neq; ubi *ſecundum textum* Hebræum citarent, neque ubi *ſecundum verſionem*. 1. Ex textu Hebræo citantes nullam conciliabant authentiam quoad rem. Res enim divinitus inſpirata per Prophetas, inde ſuam habebat authentiam, adeoque neceſſe non erat ut novam acquireret per Apoſtolos. 2. Non quoad modum. Quomodo enim id fieri potuiſſet, qui citabant Græcè non Hebraicè? Adeoque modo Græco conciliabant non Hebraico, utpote qui jam à Prophetis ſuam antea authentiam acquiſiverat. 3. Ex textu Græco citantes nullam conciliabant authentiam quoad rem. Ea enim authentiam ſuam habebat à Prophetis ut ante, ſive Hebraicè proponeretur ſive Grȩcè.

Q 4. Ne-

Digitized by Google

4. Neque quoad modum, quod duplici invictiſſima ratione probo. *Prima*, quia res ipſa docet, & fatentur omnes LXX. verſionis fautores, ſaltem qui cum judicio aliquo agunt, LXX. *ad verbum non vertiſſe, ſed ad ſenſum plerumque reſpexiſſe magis quam ad verba, & paraphraſtas ſæpius egiſſe*, ait Cl. Waltonus in Proleg. Si ergo Apoſtoli iſtum agendi modum authentiſaſſent, ex conceptibus humanis feciſſent conceptus divinos. Ipſeque Spiritus S. repudiato eo, quo per Prophetas uſus fuerat, dicendi modo, alium ab hominibus mutuò petitum, ſubſtituiſſet, quod vehementer abſurdum. *Secunda*. Fatetur idem Waltonus, & res ipſa docet, *Apoſtolos ſæpe etiam, dum loca ex* LXX. *allegant, paraphraſtas egiſſe, quædam addendo explicationis gratia, quædam detrahendo, ubi ſenſus plenus eſſet ſine illis*. Unde iterum patet, Apoſtolos nullam verborum τῶν LXX. authentiſationem intendiſſe, aliàs ſemper verbotenus eos citaſſent, ſed rem duntaxat ſpectaſſe. Sit ergo hoc ratum, viros θεοπνεύστους nunquam intendere ut rebus ante ſe dictis concilient divinam authoritatem, ſed tantum rebus à ſe dictis. Vel enim res ante ſe dictæ ſunt à Deo vel ab hominibus. Si à Deo, non indigent nova authentiſatione, ſi ab hominibus, pro divinis agnoſci non debent. Quicquid enim ex ore hominis proficiſcitur, ſi non ſit θεόπνευστον cum primum profertur, nunquam tale fiet poſtea, etiamſi in ore viri θεοπνεύστου verſetur. Adeoque ſi vel ipſe Chriſtus in terris eſſet, & concionem Belgicam haberet ad populum, citans Scripturæ dicta ex noſtra verſione Belgica, eam tamen non efficeret authenticam, ſiquidem rem duntaxat intenderet, non verba. Verba quippe ab hominibus profecta Deus pro ſuis agnoſceret, quæ idcirco principium religionis eſſe nequeunt, ſiquidem abſurdum

ſurdum conſcientiam niti aliquo fundamento quod ipſe Deus θεοπνεύστως non poſuerit.

CAP. XXXV.

Argumentum primum apagogicum contra authentiam Verſionis.

NOſtræ nunc ſunt dicendi parres, ac primò ſic argumentamur. *Quæ tranſlatio eſt opus humanum, non poteſt ne debet eſſe authentica in Eccleſia. Atqui tranſlatio* LXX. *fuit opus humanum. Ergo, &c.* Major patet ex antedictis. Abſurdum enim eſt conſcientiam in iis quæ religionem ſpectant, quorum objectum eſt ſolus Deus, niti opere humano, non tantum quoad rem ſed & quoad dicendi modum. Etſi enim conſcientia Spiritus S. teſtimonio acquieſcat Dei verbo, quod humano dicendi modo proponitur, ipſum tamen proferendi modum pro divino non habet, niſi falſum ſibi perſuadeat, quod à Spiritus S. teſtimonio alienum. Adeoque ſi & in dicendi modum inquirere velit, eundem conſulit ſpiritum qui rem ſuggeſſit. *Eum* autem non in verſione ſed *in* fontibus duntaxat *reperiet, qui* ſoli idcircò illuminatæ menti ſunt authentici. Minor variis rationibus probatur, quas ordine propoſitas à Voſſii & adverſiorum exceptionibus vindicabimus.

Prima. LXX. illi, ſi ipſi ſint autores verſionis, non fuerunt Prophetæ. Nam fuit Malachias prophetarum ultimus, à quo uſque ad Iohannem Baptiſtam nemo iſto dono fuit afflatus, ut θεοπνεύστως vel ſcribere vel fari potuerit. Teſtatur id Theodoretus in Malach. Teſtatur item Joſephus, poſt Artaxerxis tempora non fuiſſe factos libros authenticos, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν

 quod

quod non eſſet certa prophetarum ſucceſſio. Hanc rationem Voſſius *Rabbinicam vocat & nugatoriam.* At Theodoretus non fuit Rabbinus, neque Patres alii, quos mox in medium proferemus. *Joſephum* dicit *manifeſtè contrarium docere*, nempe *Iohannem Hircanum Pontificem prophetaſſe. Eſſenos* item *nonnullos propheticum habuiſſe ſpiritum* hoc tantum dixiſſe, *nullam certam prophetarum ſucceſſionem fuiſſe poſt tempora Artaxerxis, libroſque hiſtoricos poſtea exaratos non eſſe propheticos nec ejuſdem cum prioribus authoritatis.* R. At hoc ipſum eſt quod volumus. Dicit enim Joſephus libros à tempore Artaxerxis ſcriptos non eſſe ejuſdem fidei cum præcedentibus. Addit rationem, quia non fuit certa prophetarum ſucceſſio, i. e. quia non fuerint ſcripti à Prophetis. Sive ergo Prophetæ tum temporis fuerint, ſive non fuerint, nihil hoc ad hanc cauſam, neque etiam eum in finem citatur hic Joſephus ad probandum fuiſſe omnino nullos. Sed hoc ſaltem ex ipſius verbis ſequitur, quicunque libri à tempore Artaxerxis ſcripti ſunt, non fuiſſe ſcriptos à Prophetis, ſiquidem certa tum non fuerit prophetarum ſucceſſio. Hæc ratio ponderanda eſt, & fruſtra ad ſolos libros hiſtoricos iſtius temporis hoc torquetur, quare enim & iſti tantam non mererentur fidem, cauſa erat, quod non eſſent ſcripti à Prophetis. Non autem erant ſcripti à Prophetis ob prophetarum defectum. Inſigniter autem mentitus fuiſſet Joſephus ſi tanta tum fuiſſet prophetarum copia Hieroſolymę ut ſeptuaginta duos ſimul in Ægyptum ablegare potuerit ſummus Pontifex, qui haud minorem ſaltem numerum ſecum retinuiſſe cenſendus eſt. Neque exiſtimo Hieroſolymam unquam rebus etiam florentiſſimis tot ſimul continuiſſe Prophetas. Qui ergo ſinguli tam exiguo temporis ſpatio univerſam

S. Scri-

Digitized by Google

S. Scripturam tam miraculoſè & infallibiliter in linguam Græcam transferre potuerunt, an ne unus quidem ex iis erat, vel ex eorum anteceſſoribus aut ſucceſſoribus qui hiſtoriam Judaicam Propheticè conſcribere potuerit, ita ut fuerit ejuſdem fidei cum libris Samuëlis & Regum? Vel an nobis perſuadere conatur Voſſius donum illud Propheticum in iſta tranſlatione uſque adeo fuiſſe exhauſtum, ut nihil amplius habuerint in reſiduo, iſtoſque LXX. inſtar turmę gruum exigua interpoſita mora terram Iſraëlis ex inopinato prætervolaſſe, nec eorum ſimiles ante vel poſt comparuiſſe?

Secunda. Narrat hiſtoria, LXX. illos *fuiſſe electos* à Pontifice Eleazaro ad iſtud opus, & ab ipſo miſſos. Sic nempe Arias Montanus à Philippo Hiſpaniarum Rege fuit electus & miſſus, qui præeſſet editioni Bibliorum Antwerpienſium. Imò debuiſſe ipſis locum commodum, à ſtrepitu vulgi tutum, ne ſcil. in opere turbarentur, præparari. Quæ omnia hominem redolent. Prophetæ nec eliguntur nec mittuntur ab hominibus ſed à ſolo Deo, & *perinde ipſis quo* in loco verſentur, ſiquidem ubique à Spiritu S. acti loquuntur infallibiliter, ita ut loci ſitus nec conducat quicquam nec officiat.

Tertia. Hieronymus, omnium veterum in hoc argumento exercitatiſſimus, in Pentat., ait: *Aliud eſt vatem eſſe, aliud interpretem*, &c. Illi *interpretati ſunt ante adventum Chriſti, & quod neſciebant dubiis protulere ſententiis*, &c. Sic in aliis locis quamplurimis verſionem carpit, iſtamque de θεοπνευστία opinionem ex cellularum figmento hauſtam hominum mentibus evellit. Reſpondet Voſſius pag. 2. Nos eſſe *injurios Hieronymo, & teſtimoniis ejus abuti ad evertendam LXX. Interpr. authoritatem. Æquo quidem*

 addictio-

addictiorem ipſum fuiſſe ſeculi ſui Judæis cum LXX. *ſenes pati aliquid humanitus potuiſſe, ac Interpretes fuiſſe non Prophetas exiſtimaret. Sed Auguſtino ejus ſententiam diſplicuiſſe, ipſumque Hieronymum ætate provectiorem, veritate penitius inſpectâ, palam eſſe faſſum in Præfat.* 2. *Paral. afflatu Spiritu S. eos vertiſſe.* R. 1. Cui hic credam, Voſſi, tibine an Morino? Tu cum Petro Sutore Pontificio ais, Hieronymum ætate provectiorem, in ſenectute, cum rem ipſam diligentius volutaſſet, aliter ſenſiſſe. Nempe juvenem LXX. viris fuiſſe iniquiorem, ſenem verò æquius de iis tuliſſe judicium. Morinus Papiſta itidem contra *Hieronymum juvenem*, ait, LXX. *Interp. tranſlationem ut verè divinam ſuſpexiſſe, Hebræo textui manifeſtè præpoſuiſſe. Verum ætate provectiorem Rabbinorum contubernio uſum, ſententiam mutaſſe, ac evidenter tranſlationem divinitus factam negaſſe.* Vide quomodo tibi cum tuis hominibus conveniat. Cum iis ſentis qui inter ſe non conſentiunt. Adeoque nec tibi nec Morino credo, & inanis eſt conjectura. Qui enim norit Morinus Hieronymum rectius ſenſiſſe cum eſſet juvenis, iniquius autem in ætate provectiore, & unde tibi cum tuo ſutore conſtat ipſum juvenem ſequiori ſententiæ adhæſiſſe, provectiorem verò judicaſſe melius? 2. Ego verò dico, Hieronymum ſententiam nunquam mutaſſe. Nunquam ille LXX. verſionem cenſuit fuiſſe opus propheticum. Nec per afflatum Spiritus S. intelligit donum propheticum, diverſos enim iſtius afflatus eſſe gradus obſervavimus in ſtatu quæſtionis, ac latius omninò θεοπνευστίας vocabulum à Patribus ſumi quam à Paulo Apoſtolo 2. Tim. 2. 16. inde colligi poteſt, quod LXX. Int. ex afflatu divino, i. e. peculiari Dei auxilio tranſtuliſſe agnoſcant plerique, at quod afflatu Prophetico & infallibilitatis dono illud egerint,

Digitized by Google

rint, neminem fuiſſe credo qui dixerit, niſi cui fabella de cellulis, quam Hieronymus exploſit, mentem occæcaverit. 3. Auguſtini, cui Hieronymi ſententia diſplicuiſſe dicitur, locus & verba citanda fuiſſent, quod Voſſius ſolito ſuo more, ſtudio non facit, ne idoneis teſtimoniis lectori videatur deſtitutus. Nunquam diſplicuit Auguſtino ſententia Hieronymi quod iſti tranſlatores non Prophetæ fuerint ſed homines communi Spiritus S. dono afflati, ſed ſuper nova verſione Latina quam ex Hebræo textu adornabat, lis aliqua inter ipſos fuit, quod in præjudicium receptæ Græcæ vergere credebat Auguſtinus.

Quarta. Ipſa Patrum praxis iſtud innuit. Si verſio illa LXX. habita fuit pro opere divino & non humano, maximè culpandus Origenes, culpandus Heſychius, imò culpanda univerſa Eccleſia. Ille quod opus divinum interpolare auſus fuerit opere humano, verſionem nempe LXX. tranſlatione Theodotionis, qui tamen labor à totâ Eccleſia cum applauſu fuit exceptus. Iſte quod verſionem ad textum Hebræum recognoverit, quod fieri non debuit ſi uterque eſſet divinę originis, nedum ſi textus fraudulenter à Judæis corruptus. Hæc quod abrogata translatione LXX. in Danielem (ut ſæpius teſtatur Hieronymus) ei ſubſtituerit Theodotionis interpretationem. Itane verò, non unus aliquis Doctor, ſed tota Eccleſia operi prophetico præfert opus hominis, hominis, inquam, hæretici, hæretici apoſtatæ, apoſtatæ Judæi? Vel hac in parte egit nefariè, vel non habuit verſionem LXX. pro opere Divino.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXVI.

Argumenti ſecundi apagogici ſtatus.

SEquitur ut telum vibratum in textum, retorqueamus in Verſionem. Etſi hoc per ſe quidem non neceſſarium. Vindicato quippe textu, ejuſque authentia contra adverſariorum criminationes aſſertâ, per nos licet, & utinam! tranſlatio per omnia ipſi reſpondeat, eaque digna eſſet laude, qua τῶν LXX. laborem deprædicat Ariſteas. Sic enim rixandi anſa ſublata, alta pace, quoad hoc controverſiæ genus, frueretur Eccleſia Chriſtiana. Sed quoniam iſta beari felicitate non conceſſum, veritatis patrocinium à nobis poſtulare videtur ut non minus diſſimulemus gravamina quibus juſtè oneramus verſionem, quam nobis affatim admetiuntur iniquas ſuas contra textum querelas adverſarii. Denuo verò hic proteſtor, me hoc eo non facturum animo, ut tranſlationis LXX. ἀχρειότητα inde evincam, eamque pedibus, ut queruntur, proculcem, ſed ut agnoſcat lector quam neceſſarium ſit ut ſacris fontibus imprimis adhæreat. Neque etiam eo hic utar rigore, quo vindicata textus ſinceritate & authentia ſummo jure ſaltem in aliquibus mihi uti licet, nempe 1. Non ea in parte tranſlationem ſum aggreſſurus ubi ſimpliciter à textu diſcrepare fuerit deprehenſa, i. e. ubi non niſi teſtimoniis ab extra petitis eam poſſim convincere, ne par pari referam adverſariis qui ab iſto agendi modo non abſtinent, textum propter nudam à verſione diſcrepantiam corruptionis inſimulantes, nullis nixi rationibus niſi teſtimoniis exoticis, uti vidimus in quæſtione Chronologica, 2. Neque liberum illud interpretandi genus oppugnabo, quo commentatores ſe potius quam tranſlatores oſtenderunt

derunt LXX. Etſi enim haudquaquam deceat interpretem, qui ſimpliciter id intendit ut textum aliquem ex una lingua in aliam transfundat ut ſuos conceptus admiſceat conceptibus alterius, præſertim ſi textum ſacrum [illegible] transferre præſumat, ubi nudis verbis religioſè inhærendum, quo nomine *Aquila* præferendus omnibus priſcis interpretibus. De eo enim teſtatur Hieronymus Præf. in Job. quod reddiderit *verbum è verbo, Symmachus ſenſum è ſenſu, Theodotion* autem *ex utroque commixtum translationis genus expreſſerit, & cum* LXX. *in pluribus locis concordaverit.* Attamen cum videamus Apoſtolos hoc interpretandi genus in LXX. toleraſſe, eorumque tranſlationem in Eccleſiâ receptam modò ſenſum rectè expreſſerint, nihilo-minus citaſſe, nos ei hac de cauſa ampliorem moleſtiam creare nolumus. 3. Neque eam gravabimus ubi quæſtio in ſola puncta vocalia incidit, ne Voſſius nobis Rabbinomaniam impingat. Agnoſcimus enim puncta eſſe ab hominibus multis poſt LXX. ſeculis textui addita. Adeoque ſi LXX. cum aliis fortaſſe punctis vocem quandoque legerint quam hodiernus nobis textus exhibet, modò ſenſus utrobique ſit æqualis & commodus, certamini Rabbinico me immiſcere nolo. Sicut enim cum Chriſtianis *ineptire* nolo, qui Judæorum nugis & fabulis ſeducti [illegible] LXX. θεοπνευστίαν aſſeruerunt, quod fervidus ille Rabbinorum hoſtis Voſſius Rabbinico venabulo captus animadvertere non potuit, ſic nec hodiernis Judæis eandem de ſuis punctis & paraphraſibus Chaldaicis opinionem quam olim de ſuis LXX. Magiſtris ſuperſtitioſè foventibus aſſentior. 4. Neque etiam multum curamus proprietates vocabulorum Hebraicorum quæ Græcè melius reddi potuiſſent, quod interpretis imperitiam arguit. Reſtant

Digitized by Google

ergo ſola media interna, quibus ipſius Hebræi textus ſinceritatem indago, parallelia nempe, allelouchia, fidei & idiomatis analogia. Hiſce verſionem LXX. tam potenter corruptionis ſeu malę interpretationis (ſive ab ipſis interpretibus ſive ab exſcriptoribus & interpretatoribus commiſſæ) convincam, ut vel acerrimi ejus propugnatores errorem ſint agnituri. Neque hoc cum ulla in eam injuriâ conjunctum eſſe poteſt. Siquidem hac ratione in pari gradu eam conſtituo cum textu. Nempe ſicut textum duntaxat ex ſe ipſo recognoſco ſic & verſionem quaſi & ipſa ſcriptum eſſet θεόπνευστον. etſi exemplo veterum eam textui poſſim ſubjicere. Niſi quod in quarto medio, ubi de analogia Grammatica agitur, verſio textui attemperari debeat, habet enim ſe veluti ectypon ad ſuum archetypon. Ne autem exſpectet à me Lector, me integram tranſlationem ab initio ad calcem excuſſurum, ſic enim aliquot volumina conſcribenda forent, ſed ſolummodo aliquot ſpecimina hac vice daturi ſumus. Si quis plura deprehendere velit, eadem, quam nos ipſi hic præmonſtramus, via, poterit procedere. Præter ergo loca ſupra citata, in quibus ex Hebræi textus vindiciis, error penes verſionem remanſit (ubi & Cainan ſecundum normam Parallelias Hebraicæ & Græcæ conjunctim excidit) ſequentia hæc oculis lectoris ſubjicimus.

CAP. XXXVII.

Loca ex Pentateucho.

GEn. 4. 26. οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι. *Hic ſperavit invocare*. Convincitur ex allelouchia & analogia Grammatica. 1. Verbum הוחל non poteſt habere locum niſi con-

conjugatione Hophal, eſtque vel à חלל vel à יחל interpres derivavit à יחל ſperavit. Sed ſic non uſurpatur Hebræis in Hophal. 2. Senſus eſt ἄλογος. Hophal enim eſt conjugatio paſſiva, & reddendum foret, *ipſe ſperatum eſt invocare*. 3. Pravè expoſuit אז *tunc* per זה *hic*. 4. Abſurdum, Enoſum ſperaſſe invocare nomen Dei. Quid impediebat quominus ageret quod ſperabat? Rectius Hieronymus à חלל in Hiphil החל *incepit*.

Gen. 5. 25. Ἔζησε Μαθουσάλα ἑπτὰ ἔτη καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν καὶ ἐγέννησε τὸν Λάμεχ. *Et vixit Matuſala* 167. *annos & genuit Lamechum.* Convincitur ex allelouchia. Vixit enim Matuſala poſtquam genuiſſet Lamechum annos 802. ut ait interpres, ut ætas ipſius in univerſum fuerit annorum 969. Lamech anno ætatis 188. generat Noachum, nempe cum Metuſalem haberet annos 355. Annon autem ætatis Noachi 600. fuit Diluvium, nempe anno ætatis Metuſalæ 955. vixit ergo Metuſala poſt Diluvium annos 14. quod maximopere abſurdum, ſiquidem ipſe cum Noacho in Arca non fuit. Corrigitur quidem iſte error ex *MS. Alexandrino*. Attamen tempore Auguſtini codices omnes Græcos obſederat, adeo ut haud mediocriter anxerit commentatores, factaque inde nobiliſſima quæſtio in Eccleſia veteri, palpabili indicio, intrepretes ſeu Interpretatores qui primi Chronologiam ſacram corruperunt, ut eam profanæ conformem redderent, triti illius oportet *mendacem eſſe memorem* immemores, ad ſtolidum hoc σφάλμα animum non adjeciſſe, quod poſteriorum ſeculorum recognitores aliqui (forte Heſychius vel Lucianus) haud tolerantes ſecundum Hebraicam veritatem ex ſuis exemplaribus eraſerunt, integram tamen Chronologiam recognoſcere non auſi, tum quod ex ſe

nullam pareret abſurditatem, tum quod juxta primam illam corruptelam receptæ verſionis apud Chronologos omnes pervulgatiſſima eſſet.

Gen. 15. 11. Καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀβραάμ. *Et ſedit Abraham cum ipſis*, nempe avibus quæ deſcenderant ſuper cadavera. Convincitur ex allelouchia & analogia Grammatica. Quo ſenſu Abraham avibus aſſederit neſcio, niſi forte, veluti alter Orpheus dulcedine ſuæ citharæ animalia & volucres in ſuum conſortium pellexerit. Sed textus dicit, quod aves abegerit, ubi verbum ישב. à נשב difflavit, flatu abegit, quam radicem quod prima radicalis deficeret, interpretes ſcil. illi, ne unus quidem ex LXX. illis Prophetis, etſi ſinguli ſuis cellulis incluſi, & ab omni ſtrepitu remoti, invenire tamen non potuerunt, ſed quia Jod aderat, putabant illud eſſe primam radicalem, quod noſtri tyrones etſi non Prophetæ eos docuiſſent eſſe in hac voce formativum futuri. Et tamen ſi Voſſio credimus, erant iſti viri linguæ Hebraicæ, vernaculæ ſcil. peritiſſimi, adeo ut διαζυγλικῶς in eos invehatur qui iſtud negant.

Gen. 17. 14. Καὶ ἀπερίτμητος ἄρσεν, ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη τοῦ γένους αὐτῆς. *Et maſculus incircumciſus, cujus caro præputii non fuerit circumciſa octavo die, interibit anima illa de genere ſuo.* Convincitur ex allelouchia & analogia fidei. Verba illa, *octavo die*, non ſunt in textu Hebræo, debentq; abeſſe. Innuunt enim, quaſi ſolis infantibus facta eſſet iſta comminatio, quod falſum, nam & adultos concernit. Unde poſtquam de circumciſionis fœdere locutus eſſet Dominus, & tam adultos advenas quam infantes ex Judæis natos circumcidi juſſiſſet, addit comminationem qua tam adultos quam

Digitized by Google

quam infantes è populo ſuo exſtirpandos ſtatuit qui non fuerint circumciſi. Adeoque prout non probo hoc interpretis additamentum ad ſolos infantes comminationem aſtringentis, ſic nec eorum ſententiam admitto qui ad ſolos adultos. Sic enim enervatur alterum argumentum quod contra Pontificios nectimus pro efficacia ſacramentorum V. T. Hi, imprimis Bellarminus, in Sacramentis V. T. deprimendis, Novi verò exaltandis ſunt nimii. Hæc gratiam ſalutarem conferre dicunt ex opere operato & cauſaliter, illa ex opere operantis duntaxat, quatenus illorum exercitium mererentur ex condigno, nullam verò ex opere operato conferrent gratiam, adeoque nuda ſigna eſſent Sacramentorum N. T. Etſi nonnulli contuliſſe remiſſionem peccati originalis, nullam verò gratiam juſtificantem ad implendam legem, alii etiam utrumque ſtatuant, Bellarminus tamen neutrum admittit. Nos autem eandem ſpecie efficaciam tribuimus Sacramentis V. T. quam & Novi, etſi non gradu eandem. Nempe ſicut Sacramenta N. T. conferunt gratiam tam remiſſionis *quam juſti*ficationis (eſt enim una pars alterius) non ex opere operato, nedum ex opere operantis ſed ex efficacia Sacramentali quæ præſupponit conditionem fidei, ut Sacramentum non ſe habeat tantum ut ſignum, in quo ejus finis non acquieſcit; ſed ut operante fide gratiam actualiter applicet uſurpanti. Sic etiam ſe habuiſſe Sacramenta T. V. Probatur hoc 1. à promiſſione circumciſionis, qua Deus ſe Deum Abrahami & filiorum ejus futurum promittit, quod de promiſſione gratiæ in Chriſto intelligendum, fuit enim ipſi circumciſio ſignaculum juſtitiæ fidei teſte Paulo Rom. 4. 11. Deinde à comminatione mortis æternæ, ex vi oppoſitionis, ſi enim ne-

Digitized by Google

neglectio Sacramenti efficax eſt ad mortem, ejus uſus eſt ad mortem, ejus uſus eſt efficax ad gratiam. Contra utrumque argumentum excipit Bellarminus, prioris vindiciæ hujus loci non ſunt. Alterum quod attinet placuit illud Auguſtino, placuit Bedæ. Regerit Bellarminus, iſtam comminationem duntaxat adultis eſſe factam, Sacramenti contemptoribus, non verò infantibus qui illud contemnere nequeunt, adeoque condemnationem non eſſe ex Sacramento ſimpliciter non adhibito, ſed ex peccato actuali neglecti per contemptum Sacramenti. Auguſtinum verò fuiſſe deceptum ex verſione LXX. quæ addit *octavo die*, quod non eſt in Hebræo. Bellarmino adſtipulantur plerique Orthodoxi, qui non audent hoc argumento uti, ne videantur infantes damnare eo nomine quod non eſſent circumciſi. *Reſp.* 1. Nec de ſolis infantibus nec de ſolis adultis comminationem loqui, ſed de utriſque ipſe contextus liquidò docet. qui, quaſi ſcopæ diſſolutæ eſſent, non luxandus nec diſtrahendus. 2. Auguſtinum ex contextu potius quam ex additamento interpretis aut interpolatoris argumentum ſuum formaſſe, omninò eſt veriſimile, res enim eſt per ſe clara. 3. Orthodoxorum metus eſt fruſtraneus. Et mirum, viros cætera magnos tam nullius momenti impedimento territos eximium illud pro doctrina Orthodoxa argumentum ſibi deperire fuiſſe paſſos. Norunt ipſi, quanta ſit differentia inter comminationem æternæ mortis, ejuſque actualem inflictionem. Illa ad præconium verbi pertinet, hæc ad Dei judicium. Qualiter nempe ſe habet illud apud Prophetam. *Deus non vult mortem peccatoris ſed ut reſipiſcat & vivat*, quod non voluntate beneplaciti ſed ſigni duntaxat intelligendum. Sic in ſigno verbi minatur Deus

mortem

mortem infantibus non circumciſis, ſicut in ſigno Sacramenti promittit ipſis vitam æternam. Et ſiquidem contraria ſunt contrariorum conſequentia, quemadmodum nemo Orthodoxus dixerit, Sacramentum conferre gratiam infantibus ex opere operato, ſcil. ipſo actu unumquemq; ſive circumciſum ſive baptizatum acquiſiviſſe gratiam, nemine excepto, etſi in ſigno verbi promiſſio gratiæ comitetur ſignum Sacramenti, ſic nec dixerit, Sacramenti nudam neglectionem in infantibus inferre mortem ex opere non operato. Nam prout ad efficaciam administrati Sacramenti ad ſalutem intervenit fides electorum, ſine qua opus illud operatum eſt inefficax, ſic & ad efficaciam neglecti Sacramenti ad condemnationem intervenit peccatum ſive originale ſive actuale reproborum, ſine quo opus illud non operatum eſt inefficax. Adeoque rejicimus ſententiam Pontificiorum qui ſicut ex opere Sacramenti operato volunt conferri gratiam, ſic ex non operato remittunt infantes ad limbum. Quod eſt ipſi Deo velle præſcribere legem quaſi non poſſit æquè non *baptizatum ſalvare* quam baptizatum damnare. Rectè idcirco hoc argumentum urgens longè doctiſſimus ille Chamierus, infantes conſiderat ut in condemnatione per naturam conſtitutos, quibus remedium in circumciſionis fœdere ſancitum Deus ordinarit, quâ ſive proprio ſive alieno vitio neglectâ, fœdus factum ſit irritum, *nempe quantum conſequentia eſſe poteſt à ſigno ad rem ſignificatam*, innuens à voluntate ſigni quæ in verbo & Sacramento manifeſtatur, & facienda præſcribit, ad voluntatem beneplaciti qua res ſignificata confertur, non poſſe concludi.
4. Etiam fruſtra eſt qui cum Bellarmino ex comminationis phraſi argumentum conatur eludere, quaſi illa denotetur

tetur non mors æterna, ſed corporalis duntaxat, vel excommunicatio temporalis è populo Dei. Quaſi iſta temporalis pœna non ſimul indigitet æternam, teſte Paulo, qui *Deo diſplicuiſſe dicit* eos qui temporalibus in deſerto affecti ſunt 1. Cor. 10. 5. Hæc verò per διέξοδον.

Gen. 19. 16. Καὶ ἐταράχθησαν. *Et turbati ſunt* nempe angeli. Convincitur ex allelouchia & analogia Grammatica. Quomodo angeli turbati ſint qui turbari non ſolent, & quem ſenſum hoc iſtic loci efficiat nec Oedipus quidem divinare poſſet. Niſi forte loquatur de turbatione Loti cum ſuis, ſed ſic non redditur vox Hebræa, quam interpres non intellexit, eſt enim ex difficilioribus nempe verbum geminatum in hitpahel quod derivatum putavit המם vel הום turbavit. Sed miſerè deceptus eſt, eſt enim à מהה in hitp. התמהמה *cunctari* ubi loco dages repetitur prima radicalis.

Gen. 8. 7. Καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν. *Qui egrediens non revertebatur*, nempe corvus. Convincitur ex allelouchia, multis enim diebus volitaſſet in aëre, ſiquidem columba poſt corvum emiſſa non invenit locum, ubi quieſceret. Rectius textus, *eundo & redeundo* ad arcam. Uſque adeo aſſueti erant veteres iſti errori, quod nimium ſecurè verſionem ſequerentur, ut ne ipſe quidem Hieronymus eum animadverterit.

Gen. 28. 29. Καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον. *Oulamluz erat nomen civitatis antea.* Convincitur ex analogia Grammatica & allelouchia. Nam 1. אולם non eſt nomen proprium ſed particula aſſeverantis, *certè*, *verè*. 2. Tum & Luz occurrit ſæpius, ut Gen. 35. 6. &c. Adeo ut interpretes graviter hic ſint hallucinati, videanturque ignoraſſe ſignificationem vocis אולם. Voſſio tamen hic nihil ab-

Digitized by Google

abſurdi commiſſum, qui dicere non veretur, iſtam cenſuram *turpiter intentari*. 1. Quia אולם ſignificet *ante* juxta eos qui nolunt eſſe proprium: abſurdum verò illud bis occurrerere in eodem commate, *quæ antea Luza vocabatur antea*. Quod animadvertentes quidam, vocem interpretati ſint *certè*, *utique*, hanc verò interpretationem ait *nulla vel ratione, vel authoritate vel analogia niti*. 2. Duplicem fuiſſe Luzam, unam Luz alteram Ulamluz, hanc veterem Luzam dictam fuiſſe Bethel, illam verò à Bethel diſtingui Joſ. 16. 2. R. Quanta in fingendo παρρησία! 1. Quis Hebræorum te docuit אולם ſignificare *antea?* Duo iſtius vocis exempla citat Kimchi in libro radicum, quorum unum Job. 13. 4. ואולם אתם טפלי שקר *Certè vos concinnatores mendacii eſtis*. additque וענינם וענין הדומים להם באמת *horum & ſimilium ſignificatio eſt idem quod reverà*. Nec ullum vidi Rabbinorum qui iſtam vocem per *antea* explicaverit. Etiam non ineptè quadrat iſti loco ſignificatio *verè*, *utique*, unde fruſtra dicis, eam nec ratione, nec authoritate nec analogia niti. Et tamen addere audes in fine אולם *rectè & analogicè deduci ab* אול *Initium, Principium*. Siccine? Pudebat nempe revocare errorem, ideo hoc fingendum, nemini enim ex Hebræis talis ſignificatio ab אול ne per ſomnium quidem in mentem venerat. Hieronymum & Aquilam expoſuiſſe per πρότερον, credam ubi probaveris, nondum enim credo tam ineptum fuiſſe Aquilam, ut bis in eodem commate dixerit πρότερον. 2. Nec quicquam ſubſidii reperit commentitium illud Oulamluz in verbis Joſuæ: ויצא מביתאל לוזה *Et egreditur à Bethel Luza*. i.e. Bethel quæ antea dicebatur Luz. Nullum ibi video intervallum inter Bethel & Luzam ſed utrumque nomen novum & antiquum lego conjunctum. Si primam Galliæ

 urbem

Digitized by Google

urbem dicam *Lutetiam Pariſiorum*, vellem videre hominem tam ineptum qui mihi fingat aliquam diſtantiam inter Lutetiam & Pariſios. Si verò ipſe Joſua non ſit autor libri Joſuæ, facilè patet, quare duo iſta nomina hic ſint conjuncta, nempe ad differentiam alterius Luz, quæ non erat Bethel, quam ædificavit civis quidam è Bethel Luza oriundus in terra Hethæorum. Jud. 1. 26. Sed pone apud Joſuam He in Luza eſſe He locale, & ſenſum eſſe *à Bethel ad Luz*, ſic ut ſint ibi diverſæ civitates, unde probabitur Luz Bethel antea fuiſſe dictam Oulamluz? Sexies enim fit mentio iſtius Luzæ ſed nullibi vocatur Oulamluz. Sic Jud. 1. 23. *quæ antea vocabatur Luz*, debebat dicere Oulamluz, diſtinctionis ergo inter antiquam Luz & novam. Ergo nugæ ſunt iſta, eſtque illud Oulamluz cum ſimilibus rationis entibus in Utopia quærendum.

Exod. 10. 13. Ἐπήγαγεν ἄνεμον νότον. *Induxit ventum Auſtralem*. Convincitur à ſignificatione vocis Hebrææ רוח קדים *ventum Orientalem*, itemque allelouchia, nam ventus contrarius nempe Occidentalis ſuſtulit locuſtas, eaſque in Mare rubrum projecit, quas Orientalis induxerat. Excuſat Voſſius. 1. Quia ventus ille vocatur ventus adurens, iſte autem non flat ab ortu ſed à meridie in Ægypto. 2. Quia in Ægypto degentibus ventus Occidentalis non potuit dici ventus à mari, quia Ægyptus ab occaſu nullum habet mare. R. Frivolum hoc eſt. 1. Non debebat interpres Moſis eſſe ſapientior Moſe, ſed ejus verba reddere fideliter, nec confundere terminos idiomatis Hebræi. Scripſit Moſes Hebraicè. In iſta autem lingua ventus Occidentalis vocatur רוח ים *ventus à mari*, ubicunque locorum quis Hebraicè loquatur. 2. Nec dicendum eſt, ventum urentem in Ægypto flare à Meridie, ventus enim

non

non urit ſive ab Auſtro flet, ſive ab aquilone, ſed Sol urit. ventus autem qui flat ab ortu ſolis vocatur ventus urens. impropriè, i.e. exſiccans, unde Greci eum vocant καύσωνα, quia ſegetes uredine afficit, quæ ſolius Orientalis proprietas eſt. Gen. 41. 6. non Auſtralis, aliàs malè feciſſent interpretes quod iſto καύσωνι iſtum ventum ab aliis diſcreverint. Jer. 18. 17. &c. Rectius tamen feciſſent ſi reddidiſſent *ventum Orientalem*, etſi non aberraverint à mente textus. Non debent homunciones Spirit. S. preſcribere, qui ſi ventum urentem indigitare voluiſſet, apto etiam ad id ſignificandum vocabulo fuiſſet uſus. 3. Si rectè examinetur ſitus Ægypti, non potuit ventus à Mari (i. e. Septentrionalis, uti vult interpres juxta mentem Voſſii) fugare locuſtas in Mare rubrum, niſi valdè obliquè, Occidentalis autem id faciebat directè. 4. Eundem errorem erravit Exod. 14. 21. ubi רוח קדים iterum reddit per νότον, quaſi ventus Orientalis non æque potuerit dividere mare ac Auſtralis.

Exod. 13. 18. πέμπτῃ δὲ γενεᾷ ἀνέβησαν. *Quinta generatione aſcenderunt* nempe filii Iſraël ex Ægypto. *Explodendos eſſe*, ait Voſſius, *qui huic tranſlationi non acquieſcunt*, & ſi quis cum Judæis exponat, *id nihil aliud eſſe quam Judaico delirio velle patrocinari*. Sed nimis ſecurus fuit bonus vir, & fortaſſis ignoravit quid cauſæ eſſet, quare tot veteres & recentiores, huic interpretationi non potuerint acquieſcere. Obſtabat nempe Parallelia hujus loci cum Gen. 15. 16. *Generatione quartâ revertentur hic*. Hunc nodum prius ſolvere debuiſſet antequam tot viros magnos exploderet. Fruſtrà ejus meminit in fine, dum ait, *paſſim terminos numerorum confundi*. Hoc verò non eſt ſolvere ſed eludere. Imò & phraſes ſunt diſſimiles, aliud חמשים aliud דור רביעי. Quocunque ergo modo aliquis interpretetur vo-

cem Hebræam חמשים facilè ejus interpretatio præſtabit ea quam nobis dant LXX.

Levit. 18. 21. Ἀπὸ τοῦ σπέρματός σου οὐ δώσεις λατρεύειν ἄρχοντι. *De ſemine tuo non dabis ſervire Principi.* Convincitur ex Parallelia & analogia Grammatica. Luſcioſus & ſtupidus interpres legit ד pro ר in verbo להעביר ab עבד *ſervire* & quia τὸ באש *per ignem* non adſcriptum erat, non potuit comprehendere vocem מולך eſſe nomen Molochi celebris iſtius idoli & putavit eſſe partic. benoni. Nam in aliis locis ubi phraſis integrè ſcribitur, ut 2. Reg. 23. 10. לבלתי להעביר איש את בנו ואת בתו באש למלך rectè reddit τοῦ διαγαγεῖν ἄνδρα τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ τῷ μολὸχ ἐν πυρί. *Ad traducendum filium ſuum aut filiam ſuam Molocho per ignem.* Ubi tamen particulam negandi לבלתי μὴ *ad non traducendum*, omittit. Et iſtiuſmodi interpretes ſcilicet ſunt Prophetæ. Et his tu patrocinari audes Voſſi, ac dicere, quod bonos illos viros *nugis Rabbinicis obruat*, qui iſtam interpretationem carpit. At debebas in Hebraiſmorum formulis eſſe verſatus, & ex parallelismis alicujus loci inveſtigare ſenſum, qui non in tuo cerebro fabricandus ſed in ipſa Scriptura inveniendus eſt, antequam tam malæ cauſæ patronum te oſtenderes. Ac perinde tibi debebat eſſe ſive vera ſive fabulas Rabbini narrent de Molocho, modo tibi conſtaret eſſe celebre idoli nomen in Scriptura, & Propheticos tuos interpretes, ſi non hic ex oſcitantia, alibi tamen illud agnoſcere. Fruſtra in fine ad codicem Samariticum provocas, eum enim ex LXX. eſſe interpolatum alibi monuimus. Hebræa phraſis reſpicienda erat.

Digitized by Google

CAP. XXXVIII.

Loca quædam ex libris hiſtoricis.

1. REg. 25. 11. Καὶ τὸν οἶνόν μου. *Et vinum meum.* Convincitur ex ſignificatione & allelouchia. nam in Hebræo eſt ואת מימי *& aquas meas*, quæ iis rebus annumerantur quæ pro tonſoribus Nabalis præparari ſolebant, qui vino potari non ſolebant. Excuſat Voſſius. 1. Quod vox מימי *non aquam tantum ſed & quemcunque potum ſignificet.* 2. *Et hoc loco abſurdum eſſe aquam intelligere, quia illa Davidi non deerat.* Adeoque *interpretes rectè reddidiſſe.* R. 1. Exemplo oſtendendum erat, aquam apud Hebræos etiam quandoque vinum denotare. 2. Davidem in deſerto aquam in promptu habuiſſe, non ſit veriſimile, aquæ enim ad bibendum ex fontibus & puteis hauriendæ, qui in deſerto rari, ita ut quandoque paſtores pro iis depugnarent vide Gen. 26. 18. 3. Pone utrumque verum eſſe, fidelis tamen interpretis non erat à proprietate vocis recedere, præſertim qui textum ſacrum vertebat, nec iſto deſultorio interpretandi genere vocabulorum ſignificata pervertere. Sed volebat proculdubio magis ad rem loqui quam ipſe fecerat Spiritus S. Quia nim. in ſequentibus Abigail dicitur attuliſſe duos utres vini, ideo ſcil. non loquebatur Nabal de aqua ſed de vino.

2. Reg. 2. 14. Ποῦ ὁ θεὸς Ἡλιοῦ Ἀφφώ. *Vbi eſt Deus Eliæ Aphpho?* Convincitur ex analogia Grammatica. In Hebræo enim eſt אף הוא *Etiam ipſe*, ex quibus verbis interpres in unum conflatis fecit ridiculum illud nomen proprium *Aphpho.* Primò laborat Voſſius ſuper varia expoſitione vocum אף הוא, concluditque *interpretes non relicturos fuiſſe vocabulum Hebraicum ſi commodè potuiſſet Græcè reddi.* R. Hæc

verò quam miſera eſt ratio. An ideo relinquendæ ſunt particulæ, & pro nominibus propriis obtrudendæ quia variis modis poſſunt reddi? Quare non reddiderunt uti ſonant, *etiam ipſe*. Annon ſic ſenſus eſt ſatis commodus & obvius? Habent quippe emphaſin iſta verba, quibus Eliſæus per miraculum prima vice exploraturus donum ſuum propheticum, ab alio ſe iſtud experimentum exſpectare non poſſe oſtendit, quam à virtute ſolius Dei Eliæ, cujus ſucceſſor erat. Q. d. Qui Deus in Elia virtutem ſuam demonſtravit antehac, eandem *etiam ipſe* nunc in me oſtendat. An tam ſtupidi erant interpretes, ut tam claram phraſeologiam apprehendere non potuerint? Aliam ergo excogitat rationem Voſſius, nempe quod illud Aphpho ſit unum ex nominibus Dei, nempe ſi ſumatur אף pro *facie*, ſitque idem quod פנים ut Exod. 20. 3. *Non erunt tibi dii alii præter facies meas*, & cap. 33. 14. Facies meæ præibunt. Sic Eſai. 63. 9. faciem poni pro Deo. R. Non uno modo hic impingis, Voſſi. 1. Egregie ſcil. commendas tuos illos Propheticos interpretes, quod cum commodè particulas illas Græcè reddere non potuerint eas retinuerint. Hæccine ergo cauſa erat, quod in nomen proprium eas commutarint, quia commodè reddi non poterant? An Propheta aſpiciet vocabulum aliquod ut appellativum, illudque poſtmodum ſi commodè in aliam linguam vertere neſciat, convertet in proprium? Felix ergo ignorantia, quâ neſciente interprete quomodo redderet iſtas voces, Deus lucratus eſt novum nomen, ſic ut jam habeat undecim nomina, cum Rabbini hactenus Prophetici iſtius influxus haud memores decem duntaxat numerarint. 2. Falleris etiam, dum אף & פנים facis ſynonyma, אף enim ſingulariter propriè naſum notat

Digitized by Google

notat & metaphoricè iram, at in duali poſſit quandoque eſſe idem quod פנים. 3. Pone eſſe ſynonyma. Nunquam tamen efficies ut nominibus Dei annumeretur. Nuſquam Deus vocatur פנים ſicut vocatur אל vel אלהים, nedum אף, nedum *Aphpho* quod monſtroſum. Eundem errorem à LXX. 2. Reg. 10. 10. commiſſum, in calce libri denuo excuſare, tuamque apologiam confirmare anniteris. Sed fruſtra. Nunquam enim probabis aut efficies ut particulæ אף הוא fiant nomen Dei. 4. Neque ex citatis locis id ſequitur. Locum Exod. 20. 3. malè exponis, *præter facies meas*. על enim non ſignificat *præter* ſed *ſuper* vel *coram*, על פני vel לפני eſt phraſis Hebræa valetque *coram me*. 5. Si ex ejuſmodi nominibus quæ vel Deo tribuuntur vel ipſe ſibi tribuit ἀνθρωποπαθῶς, efficit poſſent nomina κατ' ἐξοχὴν Deum denotantia, vocari etiam poſſit manus, oculus, pes, &c. nihil fere non erit nomen Dei. 6. Vellem etiam nobis nominaſſes iſtos Rabbinos quos in fine dicis Deum vocare אפפוא. Tale quippe nomen à Judæis Dei nominibus accenſeri hactenus me latuit. Niſi forte in 72. Cabaliſticis decies multiplicatis, de quibus apud Galatinum, illud repereris, quas ineptias à te tam acri Rabbinorum hoſte credo alienas.

2. Reg. 15. 5: Καὶ ἐβασίλευεν ἐν ἀφφουσώθ. *Et regnavit in domo Aphphouſot.* Puto LXX. illos poſt prandium hæc reddidiſſe, hilarius forſan ſolito more à rege Philadelpho exceptos, ita ut animum ad rem minus attentum habuerint. Quis enim ante vinum & mentis compos ab analogia & allelouchia tam alienè? Loquitur textus de Azaria rege Juda, qui & Ozias. Hic ex felicitate inſolentior factus officium ſacerdotale uſurpare voluit, quapropter à Deo lepra percuſſus fuit, unde regni adminiſtratione

etſi

Digitized by Google

etſi non titulo regis, ipſi adempta, & in filii manum conſignata, ipſe ſeorſim habitare neceſſe habuit, juxta legem Lev. 13. 46. Quamdiu plaga lepræ in aliquo erit, *ſolus habitabit extra caſtra.* Sic Azarias de quo dicitur וישב בבית החפשית *Et ſedit in domo libertatis*, i. e. ſeorſim, in domo libera ſeu ab aliis ſeparata, nam חפש *libertatem* notat, & חפשי *liberum*, manifeſtum, à functione & miniſterio liberatum. Somniavit autem interpres החפשית fuiſſe domum ſic dictam, unde in nomen proprium aphphoſot vocem corrupit. Imò addit quod ibi *regnaverit*, quaſi ישב *regnare* ſignificet, in quos autem regnavit ? in muſcas, cum Domitiano. Hunc tamen errorem corrigit 2. Chron. 26. 21. ubi ſubſtituit ἐκάθητο *ſedit.*

Eſther. 9. 24. Ἀμὰν Ἀμαδάθου ὁ Μακεδών. *Aman Amadathæ Macedo.* Convincitur ex parallelia, dicitur enim Haman Agagæus, uti ipſi interpretes agnoſcunt Eſth. 3. 1. ubi האן האגגי *Hamanem Agagæum* reddunt Ἀμὰν Βουγαῖον, *Hameuem Bugæum.* Erant autem Agagæi & Amalecitæ gens eadem, ut paſſim ex ſcriptura conſtat, adeoque Haman non erat Macedo ſed Amalekita. Excuſat Voſſius, & miratur, *neminem animadvertiſſe vocabulum* Μακεδὼν *rectè ſe habere, & Hamanem iſtum non in Macedonia Europæa, ſed in Maced. Idumæorum aliquando oppido natum fuiſſe.* Iſtudque oppidum *ſitum fuiſſe ad lacum Galilææ & Matth.* 15. 39. *vocari Magedan.* Etiam eos errare *qui cum Maceda de qua apud Joſuam, illud confundunt.* R. 1. Nullo iſta conjectura nititur fundamento, imò ab omni veriſimilitudine eſt aliena, quis enim quærat Amalekitas prope lacum Galileæ, cum verſus auſtrum illi habitaverint, in finibus tribus Simeonis, cujus poſteri eorum reliquias tempore regis Ezechiæ funditus exſtirparunt 1. Chron. 2. 42. Lacus autem

Digitized by Google

autem iſte verſus Septentrionem jacet, unde miror, ſi conjecturis diſputaſſe ſufficit, quare non potius iſtud מקדה de quo Joſüæ 10. 10. pro patria Hamanis aſſignaverit. 2. Verum quid multis opus eſt verbis, ipſe quippe interpolator ſive interpres ſive interpretis Voſſii Apologiam repudiat. Oſtendit enim ſe Hamanem habuiſſe pro Macedone Europæo dum cap. 8. addit, regem Aſuerum in Epiſtola ſua eſſe conqueſtum, quod Haman imperium ſuum ad Macedonas transferre conatus fuerit. Reſpondet, *additionibus iſtis nihil ineptius poſſe excogitari*. Hoc tuum petit jugulum Voſſi, ſi additiones iſtæ ſunt ineptæ, quare ergo te torques ut ineptum interpolatorem excuſes, idem enim ille qui autor eſt iſtius additionis, etiam eſt autor figmenti Hamanem fuiſſe Macedonem. 2. Pone verò omnia eſſe vera, an fidelis interpretis eſt, quod & ſupra monui, recedere à mente & verbis ſui autoris, ejuſque textum ſuis additionibus interpolare? cui facto deteſtandi ſacrilegii nota meritò inuritur, utpote adverſus Spiritus S. ſtilum commiſſo. 3. Vide etiam quo jure dicas, *vulgò putant, additamenta ea à Græcis adjecta eſſe Interpretibus. Ego tamen longè aliter ſentio, neque enim dubito quin ea diſcrepantia exinde promanarit, quod duplex apud Hebræos hujus libri fuerit editio, altera copioſior altera verò contractior*. Ain? ſcil. res ita ſe habet quia tu longè aliter ſentis, hoc nimirum ſufficit etiamſi tot viri docti in hoc argumento exercitatiſſimi longè aliter ſentiant atque tu ſentis. Te ergo judice, LXX. Interpretes codicem Hebræum exhibebant regi Philadelpho, ubi in fine libri Eſther hæc verba exſtabant *Anno quarto regnante Ptolemæo & Cleopatra*, quod regnum centum annis Philadelphico fuit poſterius. Næ tu nobis inſignis temporum anticipator eris. Adeoque non mi-

Digitized by Google

rum, mundum 14. ſeculis vetuſtiorem eſſe quam communis fert ſententia, ſi illi modò exiſtere deſierunt, qui centum poſt annis demum exſtituri erant. Quin & tua ipſius verba mihi concilies velim. Vis apud Hebræos exſtitiſſe codicem copioſiorem, qui proculdubio is fuit quo uſi ſunt LXX, adeoque textus genuinus à Spiritu Sancto dictatus, non enim permittis ut *loca quibus Græca exemplaria auctiora ſunt Hebraicis ejuſdem farinæ eſſe dicantur*, *ac ſint ea additamenta quæ libris apocryphis accenſentur.* Quare ergo mox addis, *iſtis additionibus*, (nempe quæ in copioſiori illo codice occurrunt) *nihil poſſe excogitari ineptius.* An ergo tibi ſunt inepta quæ, te judice, ex iſto codice hauſerunt LXX. Interpretes? quæque à Spiritu S. cenſentur profecta? Nam ſi codice contractiore fuiſſent uſi, quomodo iſtæ additiones non cenſerentur ejuſdem farinæ cum libris Apocryphis? Agnoſce quam imperitè tuo Lectori imponas.

CAP. XXXIX.

Loca quædam ex Prophetis.

ESai. 63. 9. Ἐκ πάσης θλίψεως αὐτῶν οὐ πρέσβυς οὐδὲ ἄγγελος ἀλλ' αὐτὸς ἔσωσεν αὐτούς. *Ex omni tribulatione eorum nec legatus nec Angelus ſed ipſe* (Dominus) *ſalvavit eos.* Convincitur ex parallelia & analogia Grammatica ſeu vocum. Senſum reddit contrarium ei quem fert textus Hebræus: *In omni anguſtia eorum, ipſi anguſtia, & Angelus faciei ejus ſervavit eos.* Sicut Exod. 23. 20. Videntur LXX. legiſſe ציר pro צר, quod probat Voſſius, dicitque: *Quis ferat aut concoquere poſſit Judæorum noſtri ſeculi tranſlationem, in omni anguſtia eorum non anguſtia*, &c. *Vide ſi placet & vide Rabbinorum ad hunc locum ineptias.* R. Debuiſſes iſtas ineptias

ineptias proferre, ut habuiſſet Lector ridendi materiam. Eam ſi ſenſu myſtico quæris, non moramur, ſi in literali, nihil ibi eſt quod ſit riſu dignum. Duplicem lectionem obſervant Maſoretæ, alteram τῷ Cetibh לא *non* alteram Keri לו *ipſi*. LXX. videntur uſi codice quod referret τῷ Cetibh. Sed quocunque modò ſumas, reddunt illi malè. Per Cetibh ſenſus eſt, prout optimè exponit Jonathan in Targum, cum in anguſtia verſarentur, non anguſtavit eos, i. e. non reddidit ipſis Deus pro peccatorum ſuorum merito, ſed per Angelum ſuum ipſos liberavit. Per Keri ſenſus eſt לו לאל צר בצרתם על דרך ותקצר נפשו בעמל ישראל והכל דרך משל *Anguſtia erat Deo in eorum anguſtia, juxta illud Jud.* 10. 16. *doluit ſuper miſeria filiorum Iſraël. Nempe per anthropopathiam.* Juxta Kimchium. Hanc expoſitionem, qui ridet, ipſe ridendus eſt. Malè verò LXX. dupliciter. 1. Quia non agnoverunt differentiam inter צר & ציר. 2. Quia negant quod hic & alibi affirmat textus, Deum ſcil. per Angelum liberaſſe ſuum populum. Id ſi negaret textus ſcriptum fuiſſet ולא מלאך juxta proprietatem idiomatis.

Jerem. 18. 17. Ὡς ἄνεμον καύσωνα διασπερῶ αὐτούς. *Vt ventum urentem diſpergam eos*. Convincitur ex analogia Grammatica. Ventus enim non diſpergitur ſed diſpergit. Dicendum ergo erat juxta textum Hebræum, *ſicut ventus urens* diſpergit ſic *eos diſpergam*. Ut Pſalm. 1. ὡς ὁ χνοῦς ὃν ἐκρίπτει ὁ ἄνεμος.

Jerem. 50. 38. Μάχαιραν ἐπὶ τῷ ὕδατι αὐτῆς καὶ καταισχυνθήσονται. *Gladium ſuper aqua ejus & erubeſcunt*. Convincitur ex allelouchia. Quid enim gladio cum aqua? Et quæ conſtructio verbi pluralis cum nomine ſingulari? Et quomodo aqua erubeſcit? quæ omnia ſunt meri gryphi. Et

miror Voſſium abſque ullo fundamento iſta velle defendere. Textus eſt perſpicuus: *Siccitas ſuper aquis ejus* (Babylonis) *& areſcent*, i. e. loca fertilia in ſterilia convertentur.

Ibidem. Ἐν ταῖς νήσοις κατεκαυχῶντο. *Et in inſulis gloriabantur.* Convincitur iterum ex allelouchia. Loquitur enim textus de idolis ſculptilibus Babyloniorum. Quid hic attinebat inſularum injicere mentionem? Textus habet: *Eſt terra ſculptilium & in ſuis idolis inſaniunt.* τὸ אימים (quod interpres ineptè in איים convertit) idola notat, quaſi *terricula* dicas, quo ſenſu etiam dicuntur מפלצות.

Ezech. 8. 15. Ἐπιτηδεύματα. *Inſtituta.* Convincitur ex analogia ſignificationis. Hebræum תועבות non ſignificat ſtudia ſed *abominationes.* Producit Voſſius MS. Alexandrinum quod periphraſin exhibet iſtius vocis. Sed non quærimus commentatorem ſed interpretem qui Hebræum vocabulum redderet convenientius. Non enim illud ἐπιτηδεύματα ſed βδελύγματα denotat.

Amos. 6. 1. Οὐαὶ τοῖς ἐξουθενοῦσι Σιών. *Væ contemnentibus Sionem.* Convincitur ex analogia ſignificationis. Hebræum שאננים *tranquillos* notat & *ſecuros* eſt ſynonymum τῷ בוטחים *fidentes*, quod ſequitur. Sic ipſi interpretes reddunt Pſalm. 123. 4. לעג השאננים *Subſannatio tranquillorum.* Ὄνειδος τοῖς εὐθηνοῦσι *opprobrium abundantibus*, qui nempe proſpera fortuna utuntur & tranquillè vivunt. Non ergo in ſolam Samariam, ut fruſtra ſibi imaginatur Voſſius, ſed & in Hieroſolymam hic invehitur Propheta, & utrique ſecuritatis carnalis & ingratitudinis vitium exprobrat. Tum & epitheton utrique convenit, non Samaria tantum ſed & Hieroſolyma erant capita populorum Cananæorum.

Ibidem.

Digitized by Google

Ibidem. Ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν. *Vindeminarunt primitias gentium.* Convincitur ex eodem principio. Hebræum נקבי non eſt præteritum plur. ſed conſtructum plur. part. Pahul, habetque non Vau ſed Jod in fine. Neque נקב ſignificat *vindemiare*, ſed *transfigere* & ſimpliciter *figere*, pro *deſignare*, *exprimere*. Sic Latinè *ratum & fixum* dicimus quod ſemel ſtatutum eſt. Ait Voſſius יקב torcular & נקב *eſſe affinia.* Sed hoc hic non quæritur. Hebraiſmus attendendus, quem interpres non intellexit, immemor verbum נקב ſumi hic ut Gen. 30. 28. נקבה *fige*, *conſtitue mercedem & dabo tibi.* Sic נקובי *fixi* hoc loco *ſunt primarii gentium*, quos vulgata haud ineptè vocat *optimates.* Hebr. נקובי ראשית הגוים.

Zach. 10. 1. Κύριος ἐποίησε φαντασίας. *Dominus fecit phantaſias.* Turpe hoc παρόραμα convincitur ex allelouchia & analogia ſignificationis. Textus habet : *Dominus faciens coruſcationes.* Loquitur de pluvia, quam præcedere ſolent fulgura Hebr. חזיזים dicta, quod ſtolidus interpres putavit eſſe à חזה *vidit*, indeque ſuas phantaſias extudit. At quid pluviæ cum phantaſiis? Docet nos iſtud Voſſius, qui phantaſiam & φάσιν hic pro eodem ſumit & *apparitiones* interpretatur. Sed fallit, φαντασία enim ab aliis à φαίνω derivatis hac imprimis ratione diſcernitur quod non externi ſed interni ſenſus objecta notet. Nec unquam efficiet ut interpres non debuerit reddere vocem per κεραυνὸν vel τίναγμα ut Job. 28. 25. vel ſimile aliquod ſignum antecedens pluviam, etſi quam maxima ſit affinitas inter חזז & חזה.

Malach. 4. 5. Ἐγὼ ἀποστελῶ ὑμῖν Ἡλίαν τὸν Θεσβίτην. *Ego mittam vobis Eliam Thiſbiten.* Convincitur ex analogia fidei. Sit hic locus inſtar omnium, quibus demonſtratur

Digitized by Google

textum Hebræum nunquam à Judæis data opera fuiſſe corruptum. Eliam Thiſbiten venturum purè Judaicum eſt. Eliam verò non Theſbiten ſed Johannem Baptiſtam in virtute Eliæ, eumque à Propheta deſignari ex doctrina Chriſti credunt Chriſtiani. Quod ergo facinus in Scriptura Hebraica perpetrare auſi non fuerunt Judæi, ut nempe τοῦ Θεσβίτου vocabulum, quo vaticinium à Johanne Baptiſta revocatum ad Eliam V. T. converterent, infarcirent, id in verſione Græca committere non dubitarunt.

CAP. XL.

Loca quædam ex Hagiographis.

JOb. 31. 4. οἱ περικυκλῶντες ἅλιμα ἐπὶ ἠχοῦντι, ὧν ἅλιμα ἦν αὐτῶν τὰ σιτά. *Qui circuibant alima in reſonanti, quibus alima erat cibus*, &c. Convincitur ex analogia ſignificationis, quam valdè prolixam, ſi animus eſſet, ex hoc libro contexere poſſemus. Non hic inquiro an alima cum vel ſine aſpiratione ſit ſcribendum, neque an ſit vocabulum conveniens exprimendo Hebræo מלוח. Sed 1. Part. illud περικυκλοῦντες *circumeuntes* rejicio. Cui enim bono famelici de quibus illi ſermo malvam circumiviſſent? Hebræum קטף. non ſignificat *circumire* ſed *decerpere*. 2. Quid illud ἐπὶ ἠχοῦντι *in reſonanti?* Voſſius interpretatur *ad mare*, quia ſcil. reſonat. Sed quam longè hoc eſt petitum. Videtur interpres reſpexiſſe ad verbum שוח *eloquor*, immemor שיח ſignificare *fruticem*, quod hic pro ſuo candore debuiſſet agnoſcere Voſſius, ea enim ſignificatio huc propriè ſpectat. 3. Sed & quare bis ponitur *alima*, cum in Hebræo ſint voces diſtinctæ, מלוח & שרש רתמים *Malva & radix juniperorum*, vel earum ſignificationes ignoravit inter-

Digitized by Google

interpres, vel diverſis vocabulis debuiſſet exprimere. Cæterum ex multifaria illa receſſione verſionis à textu originali non debebat concludere : *Codicem Hebræum integriorem olim fuiſſe atque nunc ſit.* Hæc enim eſt petitio principii, & contrarium verum eſſe, liquet ex antedictis.

Pſal. 2. 12. *Δράξασθε παιδείας apprehendite diſciplinam.* Convincitur ex analogia fidei & ſignificationis. 1. Sic nobis intervertitur vaticinium de Chriſto, quod conſpicuum eſt in Hebræo, *oſculamini filium.* Reſpondet Voſſius, *non conſtare utrum hæc verba ad Chriſtum Dominum ſint referenda. In toto hoc Pſalmo nihil occurrere quod non de Davide videatur intelligendum. Hac in parte Judæis adſtipulari complures è Chriſtianis, qui etiam illa verba, ego hodie te genui, de Davide recens uncto accipienda eſſe cenſent.* Hæc verba Socinianiſmum ſapiunt. An tantopere de te meruerunt LXX. iſti Judæi ut in eorum gratiam tam nefariæ hæreſi te involvere velis? Bene tamen facis quod maturè, monitore Paulo in Epiſt. ad Hebr. pedem referas. Quod autem addis, *te non refragari, ſi quis τὸ δράξασθε παιδείας de ſolo Chriſto intelligendum exiſtimet, dummodo non de Chriſto puero ſed de Chriſti doctrina intelligatur*, frivolum eſt : Non enim ſufficit, ut tu non refrageris, ſiquidem novimus, te non uſque adeo malum eſſe Chriſtianum quin hoc ſis conceſſurus, ſed verba ita exponi debebant ut etiam contra alios te pejores, valere poſſent ad demonſtrandum ibi deſignari Chriſtum & non alium, quod ſane ex iſta interpretatione non ſequitur, aliàs enim, ubicunque de apprehenſione diſciplinæ agitur, ad Chriſtum iri poſſet, quod precarium ſemper, & in quibuſdam abſurdum foret. Adeoque admodum frigidè tuos LXX. commendas, imò proſtituis magis quam commendas, iſta quam nectis, clauſula: *Te non videre quid*

verbis

verbis opus ſit, cum inter Judæos non deſint qui interpretationem τῶν LXX. *ſequantur:* Annon vides, tibi iſto nomine eam debere eſſe ſuſpectam? ſiquidem ſint Judæi quibus illa placet. Quare autem placet? quia vident eam longius abire à Chriſto quam textum ſuum Hebræum, quem hac vice in Græcum vellent commutatum. 2. Non autem ſola fidei analogia ſed & Grammatica meritò reprehenditur. Nam primo Hebræum נשק nunquam ſignificat *apprehendere* ſed *oſculari* tantum. Nec ſpero tantam fuiſſe interpretis oſcitantiam ut ad radicem נשג confuſis ק & ג. reſpexerit. Deinde illud בר in Hebræo nunquam ſignificat *diſciplinam*, ſed eſt nomen toar, & vel *purum* notat vel *filium*. Prius hic non quadrat, quia exprimendus erat is qui oſculandus proponitur, aliàs incertum foret præceptum.

Pſalm. 4. 3. Ἕως πότε βαρυκάρδιοι. *Vſque quo graves corde?* Convincitur ex analogia Grammatica & ſignificatione. Textus habet עד מה כבודי לכלמה *Quouſque gloria mea in ignominiam?* ſc. vobis erit. Legit ergo interpres כבודי quaſi eſſe partic. conſtr. pahul, deinde ex לכלמה præ aphæreſin truncavit לכ mutato caph in ב. למה verò quod in principio periodi ſignificat *Quare*, relinquit in medio. Variis ergo modis hic peccatum.

Pſal. 32. 4. Ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναι ἄκανθαν. *Converſus ſum in ærumnam dum configeretur ſpina.* Seipſum confutat hoc ſtultiloquium. Textus clarè. *Converſus eſt humor meus in ſiccitates æſtivas.* Mutavit לשד in שד, nomen in infinitum alienæ ſignificationis קיץ in קוץ admodum imperitè, nec poſſet ignarus tiro pejus. Id genus elegantiis Pſalterium plenum eſt.

CAP.

CAP. XLI.

Loca quædam N.T. citata ex Hebræo.

JOhan. 19. 37. & Apoc. 1. 7. Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. *Videbunt quem transfixerunt.* Ex Zach. 12. 10. והביטו אלי את אשר דקרו. At Græci ſic habent καὶ ἐπιβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο. *Et aſpicient ad me pro eo quod inſultaverunt.* Hanc interpretationem rejecit Johannes quod nec verbis textus nec vaticinio ſatis quadraret. Non textui, quia imperitè confundit radices legendo רקד pro דקר ὕστερον πρότερον, fortè ad lumen candelæ, quo literæ affines ד & ר non ſatis à ſe invicem diſcerni potuerunt. Non vaticinio, quia reſpicit Chriſti crucifixionem, quæ hac ratione non exprimitur. At quicquid de iſta re ſenſerit Hieronymus, quicquid nos & omnes qui eum ſequuntur, Voſſio tamen *longè aliter ſe res habet.* Nempe ex veroſimili ipſi conficitur LXX. tranſtuliſſe *transfixerunt*; Iohannem citaſſe non textum Hebræum ſed LXX. labem à Judæis eſſe invectam, Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Cyprianum, &c. legiſſe uti legit Iohannes, quos verſionem Græcam ex Euangelio interpolaſſe haud probabile. Sic legiſſe verſionem veterem Latinam quæ fideliter repræſentat LXX. Utramque lectionem conjungi in editionibus Baſileenſibus. Ergo res longè aliter ſe habet, rectè nempe interpretatos LXX. Apodictica verò conſequentia. Dolendum quod MS. Alexandrinum, quod ſolum omnes ſuperat textus & editiones, hic dormitet, ſic totum negotium videbatur confectum. Sed ut à fine incipiam, rectè judicat Voſſius in Baſileenſibus editionibus alteram lectionem eſſe aſſutam, ſed quo-

 modo

modo nobis probabit; lectionem editionis Romanæ potius eſſe aſſutam quam Iohannis? Ego dico Iohannis eſſe aſſutam, donec probaverit contrarium. 2. Unde probabit, Patres illos citaſſe locum ex LXX. & non ex Iohanne? An hoc eſt interpolare verſionem ſi quis locum aliquem citet vel ex textu originali vel aliunde? Si quis Paſtor in Cathedra citet locum aliquem vel ex textu Hebræo, vel ex verſione Gallica, vel ſic ſcribat in ſuis commentariis, illene dicendus interpolator verſionis Belgicæ? interpolare eſt ipſum textum corrumpere, vel ei aliquid addere & pro genuino ſive textu ſive verſione obtrudere, uti in locis innumeris factum à LXX. aut eorum ſucceſſoribus. Aliàs omnes ſcriptores, qui non tranſlatores ſed commentatores ſe profitentur, forent interpolatores. 3. Unde probabit, verſionem antiquam Italam legiſſe in LXX. uti habet Iohannes? Noſtra enim vulgata eſt Hieronymi. 4. Si autem verſio illa vetus nobis ad manus eſſet, unde probabit, eam non potius Iohannem quam LXX. voluiſſe ſequi? Putas-ne Voſſi, te tam levibus conjecturis poſſe eludere teſtimonia Hieronymi, Cyrilli, &c. qui apertè LXX. pravæ iſtius interpretationis conſtituunt autores? 5. Quod autem Judæos hic accuſas, quaſi illi ad obliterandum vaticinium lectionem LXX. corruperint, hoc à te dici non debebat, qui contendis, textum Hebræum à Judæis data opera eſſe corruptum. Si hoc verum, quare potius vaticinium in verſione obliterarint quam in textu originali, ad quem viri docti ut ad fontem poterant recurrere, qui primò obſtruendus erat. Vide quam tua ratiocinia frivola ſint & aloga.

Matth. 2. 15. Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου. *Ex Ægypto vocavi*

vocavi filium meum. Ex Hoſeæ 11. 1. Ubi male LXX. *vocavi* τὰ τέκνα αὐτοῦ *filios ejus.* Reſpondet Voſſius, *ſtultum eſſe exiſtimare & rationem eos fugere qui dicunt,* LXX. *ſic vertiſſe. Sed vel eſſe erratum librarii ſcribentis* τέκνα pro τέκνον, *vel locum à Judæis eſſe corruptum.* R. Ego verò dico, ſtultum eſſe exiſtimare, id non eſſe ab ipſis interpretibus, quicunque illi fuerint, ſiquis hunc locum cum innumeris aliis, ubi tam liberè & indecenter à textu Hebræo recedunt, contulerint. Nec enim tantum τέκνον in τέκνα eſt mutatum, ſed & prima perſona in tertiam. Putabant quippe naſutuli, hoc melius quadrare hiſtoriæ, nam non unus ſed innumeri filii Iſraëlis ex Ægypto educti ſunt, qui idcircò non Dei ſed Iſraëlis filii dicendi videbantur. Et quomodo aliter homines quibus vaticinium de Chriſto ne quidem per ſomnium hic in mentem veniebat, adeoque non mirum eos non intellexiſſe quid ſibi vellet eductio unius filii ex Ægypto. De Judæis paulò antè dictum.

Rom. 10. 15. Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες. *Quam ſpecioſi ſunt pedes,* &c. Ex Eſai. 52. 7. מה נאוו על ההרים רגלי *Quam ſpecioſi ſuper montibus ſunt pedes.* LXX. habent, ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες *ſicut hora in montibus, ſicut pedes, &c.* Oedipo hic opus eſſet ad hoc divinandum. Nihil tamen Voſſio impervium. Allegat Baſileenſes editiones & Aldinam, ubi utraque lectio conjungitur. Nec hic præciſè vult alteram eſſe aſſutam, ut in loco Zachariæ, ſed ait. *Sive quis hanc ſequatur lectionem, ſive quis expunxerit* ὡς ὥρα *ac ſic legerit* ὡς ὡραῖοι ἐπὶ τῶν ὀρέων οἱ πόδες, *conſententientes habebit* LXX. *Interpr. cum Apoſtolo, quod ſi quis poſteriorem ſequatur lectionem, tum quoque hodiernus favebit codex Hebræus.* Ad quid

 iſta

iſta σάλυζει? Codex Hebræus & Apoſtolus planè conveniunt, cui alteruter favet, uterque favet. At incluſo iſto ὡς ὥρα LXX. cum Apoſtolo ſive codice Hebræo conſentire, nego. Addit *Procopium & pleroſque Patrum illud pro genuino* LXX. *Seniorum interpretamento agnoviſſe.* An ideo bonum, & à te defendendum Voſſi? Supra in loco Zachariæ verba verſionis pro genuino LXX. Seniorum interpretamento agnoſcebant Hieronymus, Cyrillus & alii, quæ tamen defendere nolebas, quia nim. ratiocinium aliquod quo defenderes, in promptu non erat. Hic in excogitando fertilior, *nec ſenſui Prophetæ nec loco Apoſtoli iſtam interpretationem adverſari*, audes profiteri. Quomodo ergo? Adjungis verbum verſus præcedentis πάρειμι ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες, *Adſum ut hora ſupra montes, ut pedes*, &c. Siquidem *vertices montium prius lumine adſpergantur, quam loca plana, & boni nuntii citius adveniant quam mali.* Senſum eſſe, *adſum tam maturè quam lumen in montibus, & tam celeriter quam boni nuntii.* Et ut iſta melius conveniant, illud ὡραῖοι πόδες *apud Apoſtolum non rectè reddi* contendis, *ſpecioſi pedes, ſed debere verti, tempeſtivi pedes ſeu maturi, ut olim habuit verſio Italica. Iſtamque interpretationem confirmari à Propheta Nahum* cap. 1. verſ. ult. ſi nempe ultima illa verſus præcedentis ἐπὶ ταχέως, adjiciantur principio ſequentis, quæ male tibi avulſa videntur tam in Hebræo quam in Græco codice, ut ſenſus ſit, *Quia veloces ecce ſuper montes pedes evangelizantis.* Et ſic Hebræum קלות hic ſignificare *levem, velocem*, confirmante idem Tertulliano. R. Quid tu tandem nobis non perſuadere conaberis? 1. Ridiculum verò imprimis eſt, quod ita te hic geras, quaſi

cum ſolo Apoſtolo tibi res ſit; quem ſi cum tuis LXX. conciliaveris, reliqua non curas; quaſi verò Apoſtolus poſſit avelli à textu Hebræorum, quem ſequutus eſt. 2. Quid horæ cum montibus negotii? An dies, lumen & hora tibi ſunt ſynonyma? Si id cogitarunt interpretes, quod tu in mente habes, ſtolidi fuerunt quod vocabulum remotum adhibuerint, ubi propinqua & propria in promptu erant, non enim impediebat textus originalis quominus per τὸ φῶς vel ἡμέρα exprimerent lumen in montibus. 3. Sed ſume ut ſynonyma. Quomodo ex pedibus ὡραίοις efficies *pedes tempeſtivos?* An quia Græcè ſic reddi poteſt, etiam ſic reddendum in hoc loco? Hoc planè nego. Sequitur enim Apoſtolus textum Hebræum, ut verbum נאוה nihil aliud ſignificat quam *pulchrum, decorum eſſe*. 4. Ex loco Nahum nihil tibi ſubſidii. Decepit te prava expoſitio vocis Hebrææ קלות quam Græci ineptè reddunt per ταχεῖς *veloces*, quod ex ſenſu patet, reddit enim Propheta rationem quare Deus Aſſyrium cum ſuis idolis ſepulcro traditurus, i. e. exſtirpaturus eſſet, כי קלות quia *deſpectui factus* eſſet coram Deo, ſumpto vocabulo ut Dan. 5. 25. *Ponderatus es & inventus es levis nimis*. Adeoque קלות non eſt nomen ſed verbum. Nec quadrat iſta ratio in verſum ſequentem. 5. Sume quadrare, nunquam tamen efficitur ut נאוו apud Eſaiam ſignificet *veloces*, nedum ut excuſetur temeritas interpretis quid iſtud ὡς ὥρα adjecit.

1. Cor. 15. 54. Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. *Abſurpta eſt mors in victoriam*. Ex Eſai. 25. 8. Ubi Græci: Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας *abſorpſit mors prævalens*, ſenſu contrario à verbis & mente Prophetæ בלע המות *Abſorbuit mortem*.

Digitized by Google

i. e. ſuſtulit, nempe Deus. Negat Voſſius LXX. *ſic ſcripſiſſe*. Unde probat? Quia ex Procopio conſtat, in verſione Theodotionis ſicut Apoſtolus habet, olim fuiſſe poſitum. Theodotionem autem ubique fere ſecutum eſſe LXX. nec veriſimile ipſum Judæum voluiſſe interpolare ſuam verſionem ex Apoſtolo. R. Hæc ratio frivola eſt, ſi enim Theodotion voluiſſet ſequi LXX. non neceſſe fuiſſet novam adornare verſionem ex Hebræo. Ex eo ergo, non ex Apoſtolo, hoc interpretatus eſt, rejecitque LXX. etſi in aliis ubi rectius habent, eos ſequatur.

ANTO-

Digitized by Google

ANTONII HULSII
Linguæ S. Profeſſoris

AD CL. VIRUM

ANDREAM COLVIUM

EPISTOLA,

Qua vindicatur argumentum primum Proſagogicum pro textu Hebræo à Cl. VOSSIO oppugnatum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Venerando Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,

D. ANDREÆ COLVIO,

Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Dordracenæ Paſtori Veterano, amico ſuo multis nominibus honorando.

S. P. D.

ANTONIUS HULSIUS.

LEgi nuper, *Vir Venerande*, ſcriptam ad te Doctiſſimi Viri *Iſaaci Voſſii* Epiſtolam, ſententiæ Pontificiæ de ſinceritate verſionis LXX. Interpp. quam cauſam haud ita pridem operoſè egit *Morinus*, peculiari volumine patrocinantis. Neſcio autem, quo inſtituto tibi potius quam mihi-met ipſi, meæ contra iſtam ſententiam argumentationis nullitatem (ſuppreſſo licet meo nomine) perſuadere conetur. Præfatur me tibi & ſibi amicum. Quo venerationis affectu, ego Tibi V. R. aſſurgam, non eſt quod pluribus hic exponam. Amicus equidem & Voſſius, ſed magis amica veritas. Sed candorem in iſto viro magnopere deſidero, tam enim deſultoriè meum tractat argumentum, ac ſi nullum inter nos literarum commercium ea ſuper re interceſſiſſet, nec quicquam à me iſtis, quibus evadere conatur, ratiunculis ultimo meo ſcripto, ad quod non reſpondit, fuiſſet oppoſitum. Præterquam quod mihi affingat, me hodiernum duntaxat Judæorum codicem, eumque non totum *ſed*

priora duntaxat capita agnoſcere. Ineptus ſanè forem & ludibrio dignus, ſi ſic unquam locutus eſſem. Fruſtra etiam conqueritur, *ſe iniquis à me ſpatiis coërceri.* Si ſtatum quæſtionis rectè expenderet, parceret iſtis verbis. Siquidem ergo te V. R. ad hanc cauſam in magnifico illo, quod evulgavit volumine, teſtem advocat, & apud te argumentum meum primum oppugnavit, permitte quæſo & mihi ut illud apud te vindicem. Nec dubito, quin orthodoxum de nobis ſis laturus judicium. Quoniam verò non tam mea quam totius Eccleſiæ hic cauſa agitur, cujus fulcrum ex acetabulo ſuo evulſum iſte homo ponit in lubrico, officii etiam mei eſſe exiſtimavi, ut Hebraicæ veritatis, quam publicè profiteor, partes pro virili defendendas ſuſcipiam, donec me peritiores argumentum iſtud occupent. Tum & hæc me movet ratio, quod Voſſium, utut argumentum meum ſuſque deque habeat, propoſitioni tamen majori tacitè ſubſcribentem videam. Vix enim ulli bi cenſuram ſuam in textum exercere audet, quin præter verſionem aliquid interni adminiculi habeat, quo illam fulciat. Cui bono hoc? Si tanta verſionis eſt authoritas, ut ſola ſua diſcrepantia textum proculcare valeat. Agnoſcit ergo textum à verſione non poſſe vinci, niſi armis in propoſitione mea majori præſcriptis, fuerit inſtructa, adeoque majorem eſſe textus quam verſionis authoritatem, ſi conferantur ſimpliciter. Siquidem ergo *vindicias* exigit textus originalis contra iniquas hominis cenſuras, rem in theſi ſum aggreſſus. Cætera quę exoticam ſpectant Chronologiam, non tentavi, ne quid ultra meam crepidam. Celeberrimum nactus eſt Voſſius antagoniſtam Cl. *Hornium*, qui ipſi iſta in parte abundè ſatisfaciet. Profitetur pag. 255. *Si quis veritatis ſtudio teneatur, ſe effecturum*

ut

Digitized by Google

ut errorem ſuum agnoſcat, & ſive argumentis ſive teſtium numero pugnandum, ſe victurum argumentis, ſe victurum teſtimoniis. Satis jactanter. Teſtimonia quæ ab extra in præjudicium ſacri textus adducuntur, haud multum curo, ſed argumentis certare paratus ſum, iis ſi me vincere poſſit, ac imprimis ad meum ſyllogiſmum, quem hactenus ſolvere non potuit, reſpondere, ita ut cauſæ ſatisfiat, ingenuè profiteor me ceſſurum. Habeo equidem Cl. Voſſium pro Viro Doctiſſimo, ſed qui in Hebraica literatura, utut ejus haud contemnenda det ſpecimina, ſatis oſtendit, ſe falcem in alienam meſſem mittere. Utinam in hoc ſtudii genere vel exercitatior eſſet, vel omnino hoſpes. Sic enim de textu S. & candidis Maſoretarum laboribus tam iniquum non ferret judicium, nec humeros impares tanto ferendo oneri, cui ne quidem fortiſſimi Hebraicæ veritatis hoſtes ſufficere hactenus potuerunt, ſuppoſuiſſet. Non enim exiſtimo, ipſum malo animo hic eſſe verſatum, ſed potius malam iſtam cauſam ſub ſpecie veritatis ipſi impoſuiſſe. Tum & infirmitati fortè aliquid datum, prout ferunt corrupti noſtri ſeculi mores, quo omnem famæ conciliandæ anſam anteceſſorum lucubrationibus uſque adeo præciſam judicant plerique, ut ſi quid in poſterum celebritatis comparari debeat, id non aliunde quam ex novitatibus, & iis quæ aliis piè & doctè adſtruxerant, evertendis, exſculpi poſſe ſibi imaginentur. Et ſanè ſi receptæ Chronologiæ adhæſiſſet, non fuiſſet nomen ipſius celebratum in calendariis anniverſariis, quibus illud nuper fuit inſertum, ut etiam cuilibet ruſtico Voſſianus ille calculus innoteſceret. Oſtendunt in dies Virorum Doctorum ſcripta, nondum omnia ſcientiarum ſcrinia eſſe exhauſta, prȩſertim in ſtudio literario & hiſtorico, in quo

præcipuum Voſſii talentum puto conſiſtere. In hac palæſtra, ſi ſalva veritate ſacra ſuas vires exſerere voluiſſet, meliorem ſane, ſi non majorem, apud viros bonos famam ſibi paraſſet. Styli etiam acerbitatem & præfidentem illum agendi modum, quo ſuos conceptus, utut non niſi inanibus quandoque conjecturis fultos obtrudit, non probo. Novimus quam provida ſit Virorum Doctorum in ſentiendo modeſtia, imprimis in materia ardua & rebus Chronologicis, in quibus oportet plurimum ἐπέχειν. Sed quiſque ſuos patimur manes. Deus ipſi meliorem mentem. Sed audi, ſi placet, quàm omninò nullus ſit in oppugnando meo argumento. *Quot verba in hoc argumento, tot penè in eo reperiri*, ait, *errata*. Sat confidenter, modò ſat ſolidè. Videamus ſucceſſum.

Primò. Minorem vellicat, ubi 1. redarguit, *quod textum Hebræum dicam originalem, ac ſi ipſum Moſis autographum haberemus*. R. Quæ hæc conſequentia? nullus-ne textus originalis niſi in ſuo autographo? Quis non videt textum Hebræum hic originalem dici, non reſpectu ipſius autographi, ſed idiomatis in quo autographum eſt conſcriptum, cujus omnia apographa textum referunt originalem, oppoſitè ad tranſlationem in aliud idioma, quo primus ſcriptor non eſt uſus. Peccat ergo iſta exceptio in *aphoriſmum primum*. 2. Dicit, *quod meipſum jugulem, dum fateor, hodierna apographa multis mendis eſſe inquinata, & codices, unde 70. ſuam verſionem adornarunt, fuiſſe emendatiores*. R. Quæ hæc jugulatio? Adeone conceſſi hodiernam 70. verſionem eſſe puram? Imo conſtanter aſſero, utut purior fluxerit fons Hebræus, cum 70. verterent, quam nunc, hodierna tamen apographa Græca longè luculentius fluere, quam ullo ſeculo fluxit fons Hebræus.

bræus. Impingit ergo hic in *Aphoriſmum duodecimum*, quo non me ſed ipſum jugulo. 3. Addit, *rectius ſic ſyllogiſmum fieri: Nullus liber diſcrepans ab originali ſuo idem eſſe poteſt, ac ſit ipſum originale. Atqui hodierni Judæorum codices, vel ipſo fatente, diſcrepant à Moſaico & illis quibus olim uſi ſunt* 70. *Ergo hodierni Judæorum codices non ſunt dicendi originarii.* R. Concedo totum hoc argumentum, eſt enim miſera ignoratio Elenchi. Nemo tam ineptus eſt, ut dicat, hodiernos codices eſſe originarios, i. e. nihil diſcrepare ab autographo Moſaico. Sed ſtatuimus eos continere textum originalem. Majorem ergo ſic formare debuiſſet: Nullus liber diſcrepans à ſuo autographo originali, continet textum originalem. Sed hoc manifeſtè falſum. Impingit ergo hic iterum in *Aphoriſmum primum*.

Secundò. *Majorem* aggreditur, loquiturque 1. de ipſa textus originalis correctione. 2. de correctionis modo. De *correctione* dicit, *etſi ſtatuatur hodiernum exemplar originarium, jam nulla poſſit ſufficiens dari ratio, quam ob rem illud corrigamus, etiamſi in ſingulis periodis corrigendis erroris poſſit convinci*. R. Hic quid ſibi velit, neſcio. Forſan & ipſe neſcit, ſiquidem enim per originarium exemplar tale intelligit apographum, quod cum autographo planè conveniat, quomodo illud poſſit convinci erroris & quidem in ſingulis periodis? putatne ipſum etiam Moſis autographum fuiſſe vitioſum? Si verò de iis loquitur originariis, qualia hodie manibus noſtris teruntur, quomodo dicit, non poſſe dari ſufficientem rationem ea corrigendi, cum tamen ipſe eorum correctionem, & quidem ſatis magiſtraliter inſtituat. Corrigere, hic apud me non notat actualem textus Hebræi reformationem, qualiter ludimagiſtri ſuorum diſcipulorum themata corrigunt, ſed inſinu-

Digitized by Google

ſimulationem erroris, quocunque modo is demonſtretur. Iſtum ergo correctionis *modum* quod attinet, nolui eam ſimpliciter ex verſionibus inſtitui ſed ex ipſo textu Hebræo, per locorum nempe paralleliam & allelouchiam, rationes item Grammaticas, & ſi quæ ſunt ſimilia ſcrutandæ veritatis interna adminicula, ex quibus ſi Scripturæ fideiq; analogiæ convenientior ſenſus exſurgat, quam quem receptus codex refert, eum poſſe anteferri, præſertim ſi antiqua aliqua verſio eum confirmet. Aliàs ſi receptus codex ſenſum referat commodum, qui nec ex locorum parallelia, nec ex allelouchia falſitatis poſſit coargui, eum in mendo cubare nolim, etiamſi mille verſiones ei adverſentur. Eſt enim textus originalis inſtar teſtis oculati, verſiones autem inſtar auritorum, oculato major debetur fides quam mille auritis. Si dicas, etiam oculatum poſſe errare, imò aliquoties erraſſe, eſto, ſed quis ipſum erroris convincet? an auritus, qui ad errandum proclivior eſt? Tam diu ergo ſoli oculato habenda fides, donec aliunde quam ex aurito conſtet, ipſum falſum dicere. Hoc autem fiet ſi ex propria ſua relatione falſitatis poſſit coargui. Sic in ſacris ex parallelia & allelouchia locorum. Hic eſt ſenſus *Aphoriſmi decimi quarti.*

Quid ad iſta Voſſius? 1. *Quomodo*, inquit, *paralleliſmus inſtitui poteſt, ubi unus tantum eſt codex, & ſimplex narratio?* R. Imo quia unus tantum eſt codex & ſimplex narratio, ideo rectius inſtitui poteſt paralleliſmus, non enim is inſtituitur ex diverſis codicibus, ſed ex diverſis locis ejuſdem codicis. Miror D. Voſſium id percipere vel non potuiſſe, vel noluiſſe, cum tamen iteratis vicibus mentem ipſi meam apertiſſimè explicaverim. Sed præ nimia

mia feſtinatione, veluti canis ex Nilo bibens, promptiorem ad reſponſandum videtur geſtare calamum, quàm ut ponderandis rationibus ſit intentus. 2. *Quid præterea,* inquit, *ad rem facit allelouchia? Nonne etiam hæc in altero Hebræo codice, quo Samaritæ utuntur æquè eſt manifeſta?* R. Sed quid iſta verba ad rem faciunt? ἐγὼ σκόροδα, ὁ δ' ἕτερος κρόμμυα. Allelouchia inſtituitur ex contextu, ſicut parallelia ex locis diſſitis. Utraque in eodem codice, Eſreani codicis apographo. Ubi verò Samariticum exemplar, quod Pentateuchum duntaxat exhibet, ab Eſreanis apocryphis diſcrepat, per eandem paralleliam & allelouchiam rem decidimus. Quod ſi id fieri nequeat, ac ſenſus utrobiq; æque commodus appareat, ſequimur codices Eſreanos, utpote emendatiores & celebriores, juxta *Aphoriſmum decimum,* quibus & ipſi LXX. aliique interpretes perpetuò uſi ſunt. Si verò in ipſis Eſræ apographis aliquid diſcrepantiæ ſit, quod dicto modo decidi nequeat, ſequimur Maſorethas. 3. Addit: *jam verò ſi originalem Codicem appellarit, eò quod originali ſit conſcriptus lingua, novos ipſe ſibi ſtruit caſſes, præſertim cum agnoſcat, eum non eſſe talem, qualis olim fuit.* R. ὕστερον πρότερον καὶ ἀσυλλόγιστον. Caſſes iſti ad jugulum pertinent, de quo in propoſitione minori. 4. Pergit. *Samaritanum exemplar non lingua tantum ſed & literis originariis eſt conſcriptum, & tamen nemo negabit, etiam in illo deſcribendo librarios ſæpe peccaſſe.* R. Quid iſta ad rhombum? Inde ne concludet, correctionem non eſſe inſtituendam ex parallelia & allelouchia, quia reperiuntur nævi in apographis originalibus? Iſtam verò conſequentiam pernego, & conſtanter affirmo, ſi quid nævi ſit, id per allelouchiam & paralleliam detectum iri, ſi non, nego eſſe nævum. Quod autem argumento ducto

à majori

à majori ad minus, Samaritanum exemplar anteferre videtur quia non lingua tantum ſed & literis origenariis eſt conſcriptum, in eo ſe hoſpitem oſtendit in hiſtoria Judaica, vel loquitur incautè. Eò enim illud corruptius exiſtimo quod characteribus originariis conſcriptum, infallibilis cenſor qualis fuit Eſras ipſi nunquam contigerit. Peccat ergo hoc contra *Aphoriſmum decimum*. 5. Tandem, quod primo loco facere debuiſſet, ſi tam diſputator eſſet quam literator, negare videtur majorem. *Quod ſi ſimpliciter*, inquit, *adſtruere voluerit, nullum librum ex verſione ſua eſſe corrigendum, ne ſic quidem rectè locutus fuerit. Ipſe enim fatetur, Cappellum ex verſione* LXX. *non pauca Hebræi codicis menda feliciter ſatis oſtendiſſe. Nec diffitentur eruditiores Theologi, Scaligerum, Bezam, & alios ope antiquæ verſionis multa N. T. loca correxiſſe*. R. Committit fallaciam à dicto ſecundum quid, & quidem valdè ineptè. Poſtquam enim locutus fuit de modo, quo volui ut inſtitueretur iſta correctio, parellelia nempe & allelouchia, cui bono jam loquitur de correctione ex ſola verſione? cum ſatis viderit me hoc nolle. Faſſus ſum Cappellum multa feliciter ex LXX. Interp. enodaſſe in textu Hebraico, ſed antecedenter adhibito illo medio, de quo dixi. Ubi verò Cappellus ex nuda verſione correctionem inſtituere præſumpſiſſet, non alia ratione fretus, quam quia aliter habet verſio Græca quam textus, meritò omnibus orthodoxis debuiſſet ludibrium. Nullum etiam eruditiorem & ſanum Theologum mihi oſtendet Voſſius, qui dixerit, Bezam aut Scaligerum ex ſolis verſionibus multa N. T. loca correxiſſe. Verſiones ſiquidem ad textus originalis correctionem ſe habent eodem modo, quo Eccleſiæ teſtimonium, ſcripturam à Deo eſſe teſtantis, nempe ut minus principale & miniſteriale dun-

Digitized by Google

duntaxat. Sicut enim Deus in verbo ſuo loquens præcipuum de ejus authentia ipſe perhibet teſtimonium, etſi Eccleſia hæretica eam vel millies negaverit, ſic & ipſe per internà κριτήρια ſanctificatæ menti oſtendit, ſiquid labis exſcriptorum incuria in verbum ſuum irrepſerit, ſi autem non oſtendat, nullus error cenſetur commiſſus, ut ut verſiones omnes textui adverſentur. De iſtis equidem latius antehac egi cum Voſſio, & mentem meam liquidò explicavi, ſed ſurdo narravi fabulam. Manet ergo ipſi argumentum meum ut nodus Gordius, quem ſcindat, mutilet, quantum volet, ſolvere tamen in æternum non poterit. Et niſi hunc Achillem proculcaverit, in vanum ſudat, quicquid novarum rerum in Hebraicæ veritatis præjudicium excogitat. Ecce vindicias mei argumenti, quas tuo judicio V. R. Subjicio, Deum orans, ut floridam tibi largiatur Senectam, quo animo pariter & corpore vegetus Eccleſiæ Chriſti multis adhuc annis prodeſſe poſſis. Datum Bredæ Kalend. Jan. 1662.

EPISTOLA ALTERA

AD CL. VIRUM

D. ISACUM VOSSIUM,

Libri de LXX. *Interpp. tranſlatione autorem.*

GRatias tibi ago, *Vir Clariſſime*, pro præſtantiſſimo tuo munere, quod à Doctiſſimo noſtro *Vlitio* tuo nomine mihi traditum. Præſtantiſſimum voco, non formaliter ſed materialiter. Quid enim de ejus forma ſentiam videbis in Epiſtola ad

Rev. Colvium, quo cum de me meo que argumento, in quo, te judice, totidem pene errata quot verba, agere tibi placuit. Quod ſi autem candidè agere voluiſſes, continuandum fuiſſet literarum illud commercium quod inter nos interceſſerat, & vel manus dandæ veritati, vel ad ultimum meum ſcriptum, quo argumentum meum à totidem illis erratis vindicaveram, reſpondendum, vel, ſi reſpondere non poteras, in publicum ſaltem non protrudendum ſub legitimæ defenſionis prætextu, cujus conſcientia tenebaris convictus. Verum, quoniam magnifico illo opere, univerſum adverſariorum tuorum agmen in triumphum ductutus eras, proindeque nec ego, tametſi inter obſcuriores, prætereundus tibi videbar, ſat mihi gratiæ factum arbitrabaris, quod ſub ſpecie amicitiæ meo parceres nomini, ne ſcil. cum aliis jacerem proſtratus in propatulo. Ego verò ejus nullam tibi refero gratiam, potiores quippe veritatis partes ſunt quam meæ. Hujus auguſto nomini parcendum erat, non meo. Eam publicis & privatis à me ſcriptis aſſertam qui proculcat publicè, dicam mihi ſcribit publicam, adeoque officio meo deeſſem, ni publicum ejus ſuſciperem patrocinium, quin & publicum ei mittere nuncium paratus, ſi ſub veritatis ſpecie mihi fuerit impoſitum. Sed quicquid hac in parte à te peccatum, condono lubens, nec enim ad amuſſim illam Theologicam ſe ſemper exigi patiuntur literatores. Aliud autem nunc volo. Quandoquidem tuæ profeſſionis metas tranſiliens, in forum ſacrum irrumpere non es veritus, de inſtituti tui *periculo* paucis ut monearis, non operæ pretium duntaxat, ſed & imprimis neceſſarium duxi. Imprimis quia in Præfatione ad Lectorem agnoſcis, ſi ex tuo inſtituto *aliquod periculum fidei & doctrinæ*

Chri-

Chriſtiana immineret, utique praſtare propoſitum hoc ſilentio involvere, quam curioſa nimium indagine inquietare animos piorum. Hoc ergo tibi demonſtrare volui, ſpe fretus te in poſterum ab hujuſmodi conatibus calamum & mentem temperaturum.

Rem haud levis momenti aggreſſus es, Vir Clar. Non enim hic agitur de numero prædicabilium, nec de ſphæra activitatis, nec de ſpatiis imaginariis, nec de motu locali in vacuo, aut quæſtionibus Philologicis, in quibus ampla diſſentiendi libertas. Sed de *principio Religionis*, Primo quidem intuitu ſubjectum, quod tractas, videtur problematicum, agis enim de rebus Hiſtoricis & Chronologicis, de quibus multi diverſimodè: Tu vero inſtituto longè ab aliis omnibus diverſo, imò contrario. Cum enim duplex ſit hiſtoria, Sacra alia, alia Profana: Viri Doctiſſimi & in hoc ſtudii genere exercitatiſſimi, quæcunque hactenus annalium ſive compendia ſive ſyſtemata in lucem emiſerunt, rationi ſemper & Chriſtianę, quam profitebantur, religioni conſentaneum duxere, ut non ſacra profanæ, ſed profana ſacræ accommodaretur. Tu econtra, ſive novitatis pruritu (quod ingeniorum contagium corrupto hoc ſeculo epidemium, peſtis inſtar per omnia ſcientiarum genera ſe diffundit) iſtam viam, utique nimis tritam pertæſus, ſive verſionis Græcæ ſubſidio deceptus, ſacram accommodare profanæ, utut Chriſtianus, anniteris. Quo ſucceſſu, oſtendet tibi Eruditiſſimus tuus antagoniſta D. Homius, quo autem fidei orthodoxæ incommodo, id mearum arbitror eſſe partium.

Noſti, nullam eſſe veram ſcientiam quæ non nitatur ſuis cognoſcendi principiis, nam ex principiis fiunt demonſtrationes & concluſiones ſcientificæ, & quo princi-

Digitized by Google

pia ſunt certiora & tutiora, eò certiores & demonſtrationes, adeoque rerum, quarum principia ignorantur, non poteſt dari certa ſcientia. Non autem datur ulla majoris momenti ſcientia, quam in qua æternæ ſalutis, quæ ſumma rerum eſt, cardo vertitur, S. nempe *Theologia*, cujus idcirco principium oportet eſſe firmiſſimum, & extra omnem dubitationis aleam poſitum. Iſtud autem principium, quoad religionem Chriſtianam eſt *S. Scriptura* V. & N. T. unde nullum unquam Chriſtiani nominis exſtitit hominum genus, qui hoc principio ſive utentes ſive abutentes, non niterentur unicè. Exceptis Pontificiis & Socinianis, quorum fœcunda hæreſis tam anguſtis ſe coërceri ſpatiis haud patiebatur. Nec enim pleraque ſua dogmata unius principii cenſuræ, ne cauſa caderent, committere, nec receptum, ne Chriſtiano nomine exciderent, rejicere, nec ſine principio quicquam aſſerere audebant. Illud periculoſum, iſtud impium, hoc temerarium cenſebatur. Quid ergo? Arcæ Domini adjungendus erat aliquis Dagon, principio ſacro principium profanum, ut ſic non penes Deum ſolum ſed penes Deum & homines ſimul eſſet quaſi Ariſtocraticum omnium controverſiarum Theologicarum judicium. Quod itaq; apud Orthodoxos eſt *ſola Scriptura*, id apud Papiſtas ſunt *Scriptura & humana traditiones ſimul*, apud Socinianos *Scriptura & ratio humana ſimul*.

Quoniam verò immane quantum iſta duo principia à ſe invicem diſtabant (qualis enim inter Deum & homines, talis inter Dei verbum ac rationem traditioneſque humanas proportio) neceſſe erat ut alterum, quantum fieri poſſet, extolleretur, alterum, quantum fieri poſſet, deprimeretur, quo hoc medio aliquacunque inter utrumque con-

Digitized by Google

ciliata paritate, traditio & ratio dignæ viderentur, quæ in eodem cum verbo Dei conſeſſu conſcientiis hominum ſupremam legem figerent, uſque dum S. Scriptura ex Domina in ſociam converſa, paulatim ex ſocia in ſervam commutaretur. Hinc à parte Pontificia pro infallibilitate Papæ, à parte Sociniana pro intemerato arbitrio, ab utraque adverſus Dei verbum acriter hactenus dimicatum. In propugnando principio profano ſpartam quiſque ſuam exornat pro viribus, at in oppugnando ſacro, amicè conſpirant. Omnes quippe uno ore contendunt, illud in fontibus ſuis uſque adeo eſſe corruptum & mutilum, ut niſi ſeu rationis ſeu traditionis ſupplemento & concurſu roboretur, religionis principium eſſe nequeat. Id rationibus cum intrinſecis tum extrinſecis demonſtrare ſatagunt. Sociniani intrinſecis præcipuè utuntur, Pontificii etiam extrinſeca vehementer urgent, atque in præjudicium textus originalis Judæos fraudulentæ corruptionis inſimulant, authentiam tribuunt verſioni vulgatæ, æmulamque Græcam ſupra Hebræum fontem, veluti ſinceriorem, nec minus divinitus inſpiratam attollunt.

Vide Cl. Voſſi, quibus caſtris nomen tuum adſcripſeris. Non autem inde inferre mihi eſt animus, te vel Pontificiis vel Socinianis partibus, quoad ſummam rei, eſſe addictum. Abſit hoc à me, quam enim religionem profitearis hactenus me latet. Illud duntaxat conjicio, te nec Pontificiæ nec Socinianæ hæreſeos amore, ſed ſolius novi tui Chronologici inſtituti dulci contemplatione abreptum, in iſtos laqueos incidiſſe, adeoque incautum, & quid periculi iſti aſſertioni ſubſit, forte ignarum, utique textui Hebræo haud minus fauturum, ſi nimirum

Digitized by Google

mirum is ad conceptuum tuorum rationem ſtylum æquè attemperaſſet, ac indulgens illa mater verſio Græca, quam hoc ſolo nomine tanto deſiderio proſequeris. Hoc mihi hactenus de te, Cl. Vir, fuit judicium, quod non aliunde quam ex ſcriptis tuis hauſi. Qui ſeverius judicant, eos vel familiarius te noviſſe oportet quam ego te novi, vel in leges charitatis incurrere exiſtimo.

Oggerere mihi poſſis, annon perinde qua lingua Verbum Dei V. T. habeamus conſcriptum, ſive Græca ſive Hebræa, modo illud habeamus authenticum? R. Si accuratè expendas quæſtionis ſtatum, animadvertes illud nequaquam eſſe perinde in hypotheſi, utut in theſi poſſit videri tale. In eo quippe latet adverſariorum aſtutia, quod niſi ſummam & irreconciliabilem inter textum & verſionem obſervaſſent diſcrepantiam, iſtam non tanti facerent, ſiquidem ipſorum inſtituto haudquaquam inſerviret. Aſt diſcrepantiis animadverſis, verſionem æque divinitus inſpiratam ac textum, atque hunc inſuper variis modis à Judæis corruptum clamitant. Quo quæſo fine? An ut ſuppreſſo textu ſoli verſioni, utpote prorſus intaminatæ abſolutum vindicent judicium in rebus Theologicis? Nihil minus, hoc enim ſi in animo habuiſſent, authentias dignitatem ei unicè tribuiſſent. Perinde ipſis, ſive errores ſuos ex textu, ſive ex verſione videant revictos, prout parum refert ſive quis in ipſa aquarum ſcaturigine ſive in rivo ſubmerſus intereat. Quin & verſionem pro corruptiſſima habent. Hoc ſolo fine, ut uterque textus Hebręus & Gręcus in æquali authoritatis gradu conſtitutus, inter ſe colliſi, alter in alterius viſcera graſſaretur, mutuiſque confoſſus vulneribus ſub humanarum traditionum imperio precarium traheret ſpiritum.

Atque

Digitized by Google

Atque hac ratione populus Chriſtianus in ambiguo vacillans, quò ex iſtis tenebris emergeret, ad ingeminatum illud *Dic Eccleſiæ* tanquam ad ſacram anchoram perpetuò confugere teneretur. Hinc Tridentini Patres, conſilio non Theologico ſed politico, ſolam verſionem vulgatam, tametſi non minus corruptam, effecere authenticam, ſed intra Eccleſiaſticorum cancellos coërcitam, quod mirum videri poſſit, cum tamen iſti Patres, teſte *Driedone* pro divinitus inſpirata eam non agnoverint. Sed ei, qui aſtum perſpexit, hoc non eſt mirum. Quo enim illa depreſſior, eo facilius mittitur ſub jugum, quod textus θεόπνευστος excuteret. Siquid ergo ſubſidii ex Dei verbo petendum, id ipſa ſubminiſtrat ſub pædagogia & ſummo præſidio Romani Pontificis, ex cujus cerebro, veluti ex uberiore & puriore vena Spiritus Sancti dictamina (quæ in pera mittebantur Roma Tridentum) limpidius ſcil. fluunt, quam ex mutilis illis & obſoletis, tot exſcriptionum limo turbidis, tot verſionum caligine obſcuratis paginis.

Haſce technas, vel tu ignoraſti, Mi Voſſi, vel ſi noveras, quomodo ab hæreſeos crimine poſſis abſolvi non video. Prius tamen mihi probabilius, tanto quippe molimine ac diligentia τῶν LXX. cauſam agis, ut majorem tibi quam ulli Doctori Pontificio, gratiam referre debeant. Et forte Papiſtis te ægrè facere exiſtimas, quod codicem Sixtinum tantopere deprimis, & manuſcriptum Alexandrinum exaltas. Sed tibi ipſi ægre facis & fruſtra te torques. Id ſcil. curat Papa, quis codex ſit præſtantior, Sixtinus-ne an Alexandrinus. Tu quæris codicem Græcum cujus authenticus uſus eſſet in Eccleſia. At codex ille Sixtinus non ad uſum ſed ad pompam confectus eſt, nempe ut ſuo ſplendore offuſcaret textum originalem, imprimis

primis autem ut mundo fucum faceret. Non enim Græcus duntaxat, ſed & Hebræus quandoque codex, tametſi longè contemptior, hoc modo in pegma ſubvehitur. Cui quæſo bono magnificum illud opus regium, quod tempore reformationis ſub Duce Albano juſſu regis Philippi Antwerpiæ confectum, nunc in cœnobiorum clauſtris roditur à tineis? An ut ejus aliquis uſus eſſet in Eccleſia? minimè gentium, arma enim ſubminiſtrat ad evertenda dogmata Pontificia. Et quis libri uſus quem vix centeſimus Monachus inſpexit unquam? Et qui inſpicerent quod ne quidem milleſimus eorum intelligit? Et qui intelligere ſtuderent, quibus perſuaſum, eſſe librum à Judæis fœdè corruptum, eccleſiamque debere regi; non ſecundum verbum ſcriptum ſed ſecundum verbum non ſcriptum? Ingens ergo iſte apparatus id ſolummodò intendebat, ut Pontifex Rom. ſacrarum literarum protector oſtentaretur, orbiſque crederet, omnia divinorum eloquiorum monumenta reſidere penes Vaticanum, unicum ſcil. S. veritatis ſcrinium. Si fortè iſtiuſmodi ſtropha ſiſti poſſet curſus reformationis. Sed fruſtra.

Deſine itaque, Vir Cl. tibi & nobis faceſſere negotium. Inſcius quippe cauſam agis eorum, à quibus, ut ſpero, animum habes alienum. Nec tanti tibi quæſo ſit nova tua Chronologia, ut in fundamentum noſtræ ſalutis, tibi æque ac mihi fixum, pergas impingere. Etſi enim ſummam nominis famam iſta novitate lucratus fueris, quid proderit? ſi tanti theſauri feceris jacturam. Neque etiam vanus quorundam applauſus tibi mentem occæcet, quid enim? ſi fortè viris quibuſdam Politicis, qui in hoc controverſiarum genus, tametſi cætera perſpicaciſſimi, penetrare non ſolent, artificio rhetorico impoſueris,

atque

atque ſummæ eruditionis laudem tibi conciliaveris, plures tamen qui rem intelligunt habebis adverſarios. Culpaberis ab his, laudaberis ab illis. Quin & hoc expendas velim, nos aliquando coram ſupremo judice rationes reddituros, quo animo, quo affectu rem ſacram tractaverimus. Id ni perſuaſum habeas, fruſtra de textu diſputas, fruſtra de verſione, omnia nil niſi fucus.

Ut concludam, addo verbum de agendi modo. Profiteris te victurum teſtimoniis, victurum argumentis. Dixi me omnia exotica teſtimonia adverſus Dei verbum militantia rejicere, quia ſum Chriſtianus. Si autem argumentis certare libet, paratum me invenies. Sed ad id ante omnia requiritur ut ſtatus quæſtionis ſit perſpicuus, quem hactenus ea qua decebat, accuratione non conſtituiſti. Quatuordecim propoſui non aphoriſmos, quibus rem totam comprehendi. Videbis ibi quid largiar quid non largiar. Ultimo autem oſtendi quouſque faveam Cl. Cappello in opere critico. Omnibus itaque hinc inde expenſis, tres duntaxat quæſtiones in controverſiam veniunt. I. *An Textus Hebræus à Judæis data opera ſit corruptus?* Non, an aliqui nævi in eum irrepſerunt, vel an etiamnum aliqui à Maſorethis præteriti poſſint deprehendi? Sed an data opera ſit corruptus. II. *An, ſi qui adhuc deprehendantur, per alia quam per interna illa media, de quibus dixi, pro nævis poſſint agnoſci?* III. *An tranſlatio LXX. Interpp. fuerit ſcriptum divinum, adeoque ſive in totum ſive ex parte pro authentico habendum in Eccleſia Chriſtiana?* Harum quæſtionum tu partem affirmativam adſtruis, ego negativam contra rationes omnes, quos in tuo libro eò ſpectantes potui reperire hactenus defendi. Quod ſi ergo tuas tueri partes animus tibi eſt, habebis vindicem veritatis. Hoc autem

imprimis à te poſtulo, ſiquidem argumentis pugnandum, ut ἀκριβῶς & ſyllogiſticè agere aſſueſcas, & à ſtyli acerbitate, quantum potes, abſtineas. Acerbius equidem quandoque excipiendi videntur illi, qui contra conſcientiam peccare deprehenduntur. Id autem in me, ut ſpero, non animadvertes, utique tibi cedere parato, ſi non ſcommatis ſed rationibus viceris. Nec ſane res tanti momenti & ponderis deſultoriè & pueriliter ſed ſeriò & graviter eſt agenda. Hiſce Vale, Vir Cl. & ſi ſalutaris conſilii capax es, provinciam malè ſuſceptam deſere, & in commune Eccleſiæ Orthodoxæ commodum operam tuam nobiſcum impendito. Sic Deum, cujus ſolius gloria ſuprema lex eſt, habebis propitium. Me verò

Tuarum virtutum atque Eruditionis
Æſtimatorem ſtrenuum

A. HULSIUM.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ,
qui in hoc tractatu citantur, illuſtrantur, vindicantur.

GEn. 2. 2.	76	*Exod.* 32. 18.	83
Gen. 3. 17.	77	*Exod.* 33. 14.	142
Gen. 4. 26.	130	*Lev.* 13. 46.	144
Gen. 5. 3.	55	*Lev.* 19. 26.	86
Gen. 5. 25.	131	*Lev.* 18. 21.	140
Gen. 6. 3.	78	*Num.* 12. 12.	42
Gen. 8. 7.	136	*Deut.* 29. 6.	84
Gen. 11. 42.	66	*Deut.* 32. 8.	87
Gen. 14. 5.	78	*Deut.* 32. 35.	88
Gen. 15. 11.	132	*Joſ.* 7. 21.	37
Gen. 17. 14.	ibid.	*Joſ.* 10. 10.	145
Gen. 19. 16.	136	*Joſ.* 15. 59.	89
Gen. 26. 18.	141	*Joſ.* 15. 62.	86
Gen. 28. 29.	136	*Jud.* 1. 21.	37
Gen. 30. 28.	149	*Jud.* 1. 23.	138
Gen. 35. 6.	136	*Jud.* 1. 26.	ibid.
Gen. 36. 2.	79	*Jud.* 20. 42.	37
Gen. 37. 2.	ibid.	1. *Sam.* 24. 1.	86
Gen. 41. 6.	139	2. *Sam.* 15. 32.	90
Gen. 49. 6.	80	2. *Sam.* 16. 16.	ibid.
Gen. 49. 10.	81	1. *Reg.* 14. 20.	75
Gen. 49. 22.	82	1. *Reg.* 15. 9.	ibid.
Exod. 10. 13.	138	1. *Reg.* 25. 11.	141
Exod. 13. 18.	139	2. *Reg.* 8. 26.	76
Exod. 14. 21.	ibid.	2. *Reg.* 10. 10.	143
Exod. 15. 16.	ibid.	2. *Reg.* 15. 5.	ibid.
Exod. 20. 3.	142	2. *Reg.* 17. 30.	95
Exod. 23. 20.	146	1. *Chron.* 1. 18.	66
Exod. 29. 40.	84	1. *Chron.* 2. 42.	144
Exod. 32. 6.	ibid.	2. *Chron.* 20. 31.	79

Digitized by Google

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ.

2. *Chron.* 26. 21. 144
Neh. 8. 8. 33
Eſther 9. 24. 144
Job. 13. 4. 137
Job. 28. 25. 149
Job 31. 4. 150
Pſal. 1. 4. 147
Pſal. 2. 12. 151
Pſal. 4. 3. 152
Pſal. 14. 1. 23
Pſal. 16. 9. 80
Pſal. 22. 17. 91
Pſal. 32. 4. 152
Pſal. 123. 4. 148
Cant. 1. 14. 84
Eſai. 2. 3. 57
Eſai. 25. 8. 157
Eſai 28. 1. 92
Eſai. 38. 13. 91
Eſai. 53. 8. 93
Eſai. 63. 9. 142
Eſai. 63. 9. 146
Ier. 18. 17. 139
Ier. 18. 17. 147
Ier. 50. 38. ibid.
Ezech. 8. 15. 148
Ezech. 18. 23. 134
Ezech. 47. 10. 86
Dan. 5. 25. 157
Hoſ. 11. 1. 155
Amos. 5. 26. 94
Amos. 6. 1. 148
Jon. 3. 4. 96
Nahum. 1. 15. 156
Zach. 10. 1. 149
Zach. 12. 10. 153
Malach. 4. 5. 149
Matth. 2. 15. 154
Matth. 15. 39. 144
Ioh. 4. 22. 57
Ioh. 5. 39. 27
Ioh. 19. 37. 153
Act. 2. 9. 10. 33
Act. 7. 43. 94
Act. 15. 21. 32
Rom. 3. 2. 27
Rom. 3. 12. 23
Rom. 4. 11. 133
Rom. 10. 15. 155
Rom. 12. 19. 88
1. *Cor.* 10. 5. 136
1. *Cor.* 15. 54. 157
2. *Tim.* 3. 16. 126
1. *Pet.* 3. 19. 20. 78
Apoc. 1. 7. 153.

INDEX

INDEX VOCUM HEBRAICARUM

quæ in hoc tractatu explicantur.

אולם	136.	לשר	152.
אימים	148.	ימלוח	150.
אף	142.	מימי	141.
אף-הוא	141.	מפלצות	148.
אריך	90.	נאוו	157.
בהם	78.	נחשון	59.
בלע	157.	נקבי	149.
בעבדיך	77.	נשב	132.
בעבורך	*ibid.*	נשק	152.
בר	152.	סכות	95.
ברך	92.	עווים	78.
גיא	*ibid.*	על פני	143.
דקר	153.	ענה	83.
האגני	144.	עקר	81.
האימים	78.	פנים	142.
הארכי	90.	ציר	146.
הבל	58.	צעיר	83.
הווים	78.	קין	152.
הנחל	130.	קטף	150.
החפשית	144.	קלות	157.
ותמהמה	136.	רוח קדים	138.
זבולן	59.	רוח ים	*ibid.*
הזזים	149.	רפאים	78.
חמשים	139.	רקף	153.
חרדה	80.	שאננים	148.
ירק	78.	שור	81.
יקב	149.	שור	82.
ישב	132.	שיח	150.
כארי	91.	שילה	81.
כבנה	80.	שלוח	82.
כיון	95.	שמעון	59.
להעביר	140.	שמשון	*ibid.*
לכלמה	152.	תועבות	148.
למו	93.	תחר	80.
למולת	140.	תהר	*ibid.*

INDEX RERUM.

A.

ABel nomen quid notet. 58
Adam quo tempore Sethum generaverit. 53
Adam quare 130. annis ab Eva ſeparatus juxta Talmudicos. 55
Adultorum incircumciſorum quæ pœna. 132
Africanus omiſit Cainanem. 70
Africani teſtimonium de corruptione textus. 42
Alexander Polyhiſtor quando vixerit. 67
Allelouchia quid. 15
Allelouchia quomodo inſtituenda. 167
Ambroſii error de vita Metuſalæ. 64
Ambroſii de fontibus judicium. 22
Analogia fidei quid. 15
Analogia Grammatica quid. *ibid.*
Andradii teſtimonium de textu incorrupto. 40
Annornm pubertatis proportio. 51
Auguſtini de corruptione judicium. 29
Auguſtini de textu Hebræo ſententia. 21
Auguſtini ſententia de comminatione facta incircumciſis. 134
Auguſtini lis cum Hieronymo. 127
Authentia textus Hebræi in Eccleſia 21
Authentia quomodo concilietur. 122
Authentias dignitatem nulla verſio participat. 26
Authentia verſionis an ſequitur ex citationibus Apoſtolicis. 120
Authentia & uſus differunt. 23
Authentia quare tribuatur verſioni vulgatæ. 174
Authoritas Pentateuchi verſionis 70. an major quam aliorum librorum: 101
Aphpho an nomen Dei. 141
Aphphouſot an locus ſic dictus. 143
Apographa textus Hebræi potuerunt vitioſè ſcribi. 7
Apographis τῶν LXX. purius noſtris. *ibid.*
Apoſtoli an authentiam conciliarint verſioni. 120
Apoſtoli etiam ex textu Hebræo citarunt. 119
Approbatio Apoſtolica pro LXX. Interp. an valeat ad inſtruendam θεοπνευςίαν. 117
Aqua an abundans in deſerto. 141
Aquilas Ponticus quis. 62
Aquila quomodo tranſtulerit Scripturam. 129
Ariſtæas qualis author. 98
Ariſteæ teſtimonium de conſonantia verſionis cum textu quomodo intelligendum. 111
Ariſtobulus Philoſophus. 99
Ariſtobuli teſtimonium de libris à 70. tranſlatis. 101
Aſa quamdiu regnaverit. 75
Azarias lepra percuſſus ubi ſederit: 143.

B.

BAptiſmi neglectio an damnet ad limbum. 135
Barajetha apud Talmudicos quid. 47
Bereſchit Rabba qualis liber. 54
Beroſi teſtimonium de numero generaliorum. 70
Bethel & Luz nomina propria quomodo conveniant. 137
Bethlehem Ephrata an omiſſum in Joſua. 89
Biblia Antwerpienſia: 125
Biblia Regia Antwerpienſia quo fine edita. 176
Bibliotheca Cæſarienſis. 104
Bibliotheca Philadelphica. 103
Bibliotheca Cleopatrina. *ibid.*

C. Cai-

C.

CAinan an genuinus. 66
Cainan quomodo additus vel omiſſus. ibid.
Cainanes plures. 70
Cappelli judicium de textu, 13
Cellulas LXX. Interp. ignorat Ariſteas. 99
Cetibh & Keri vocabula Maſoretica. 36
Chriſtum eſſe Meſſiam probatur à tempore adventus. 48
Chronologia ſacra ſugillata. 44
Chronologia in LXX. qua occaſione corrupta. 64
Chronologia Judæorum an corrupta, & ob quam cauſam. 46
Chronologia poſt Abrahamum. 72
Chryſoſtomi teſtimonium de corruptione textus. 43
Circumciſio ſignaculum juſtitiæ. 133
Circumciſionis neglectio an efficax ad mortem æternam. 134
Codex Sixtinus quo fine editus. 176
Codices originarii qui. 165
Codicum diſſenſus in Cainane. 69
Comedere ſuper montibus quid? 86
Conſcientia non poteſt niti opere humano. 123
Conſenſus inter LXX. qualis. 117
Corruptelæ per Maſoretas ſublatæ in perpetuum. 38
Corruptio textus duplex. 26
Corruptio nulla poſt Hieronymum. 34
Corruptio an facta ante Chriſtum. 27
Corruptio fraudulenta tollit authenticum. 25
Corruptio nulla ante Hieronymum. 29
Corruptio textus primarium argumentum adverſariorum. 9
Corruptionem flagitioſam quomodo demonſtrent. 44
Curatio quo die abſoluta. 77
Criminationes contra textum duorum generum. 44

D.

DAnielis locus de 70. ſeptim. an corruptus. 73
Demetrius Phalereus Bibliothecarius Ptolemæi. 98
Diei ſeptimi initium. 77
Diſcrepantia inter textum Hebræum & verſionem. 108
Diſcrepantiæ diverſi generis inter textum & verſionem LXX. 14
Diſcrepantia inter Judæos Orientales & Occidentales, quæ & unde. 36

E.

ECcleſiæ veteri an malè proſpectum, ſi verſio non fuit θεόπνευστος. 115
Editio LXX. κοινὴ quæ. 103
Editio vulgata Papiſtis authentica. 109
Editio Aldina. 105
Editio Sixtina. ibid.
Editio Complutenſis. ibid.
Editiones Græcæ hodiernæ an τῶν LXX. 110
Editiones hodiernę τῶν LXX. non prorſus contemnendæ. 112
Electio ad minus non convenit Prophetis. 124
Eliæ Cabbala de ſex mille annis. 46
Eſræ codicis apographa. 7
Eſræ codex ſcriptus charactere Chaldaico. ibid.
Eſræ codex punctis vocalibus deſtitutus. ibid.
Eſras fuit θεόπνευστος. ibid.
Eſras & viri Synagogæ magnæ primi Maſoretæ. 36
Eſther liber in verſ. 70. interpolatus. 102
Eſther liber an duplex apud Hebræos. 145

Euſebius non agnoſcit Cainanem. 70
Euſebius Bibliorum recognitor. 105
Exciſio è populo Dei qualis comminatio. 135
Enotica ſcripta nihil ponderis habent ad corrigendum textum. 13

F.

FAbulæ de LXX. Interp. 99
Fides fundamentum efficaciæ Sacramentorum ad vitam. 135

G.

GEnerationes ab Adamo ad Abrahamum. 71
Genealogiæ apud Hebræos quomodo recenſcantur. 79
Gentium diſperſio quando facta. 63
Gigantium nomina. 78
Græca lingua latè diffuſa: 60
Grammaticæ Hebrææ quis uſus. 3
Gratia collata per Sacramenta V. T. 133
Gravamina quibus oneratur verſio LXX. diverſorum generum. 128

H.

HAman cujus fuerit. 144
Hebræa lingua an τοῖς LXX. vernacula. 116
Hebræus Codex abſolutè authenticus. 6
Hebræus textus eſt origiualis. 7
Hebræi textus accuſatio quam periculoſa. 170
Hebræus textus an ſit mutilus. 23
Hebræus textus eſt θεόπνευςος. 16
Hebræus textus in quibus cenſeatur corruptus. 25
Hebræus textus omnium antiquiſſimus. 10
Hebræi Codices hodierni in quo pretio. 4. An pro mendoſis agnoſcendi. ibid.
Hebræorum Codicum multitudo. 32
Heſychius Bibliorum recognitor. 104
Hexapla Origenis quomodo facta. ib.
Hieronymi teſtimonium quod 70. non fuerint Prophetæ. 125
Hieronymi teſtimonium de corruptione textus. 43
Hieronymum ſententiam ſuam de 70. non mutaſſe. 126
Hieronymi de textu Hebræo ſententia. 21
Hieronymi judicium de libris à 70. tranſlatis. 101
Hiſtoria Suſannæ & puerorum Apocrypha. 23
Hiſtoricorum Orthodoxorum conſuetudo in concinnanda hiſtoria. 171

I.

JEroboam quamdiu regnaverit. 75
Infallibilitas cui propria. 5
Infallibilitatis donum Prophetis proprium. ibid.
Infantium incircumciſorum quę pœna. 132
Interpretis officium in transferendo. 129
Interpretibus quid tribuendum in diſcrepantia verſionis à textu. 111
Jonathanis paraphraſis quando facta. 61
Jonathanis paraphraſis in hagiographa. 85
Joſephi teſtimonium de LXX. Interpp. 100
Joſephus an Hebraicè peritus. 58
Joſephus Gorionides contrarius Joſepho Græco. 114
Joſephi teſtimonium de Prophetis poſt Malachiam. 124
Joſeph cæcus paraphraſtes. 85
Joſephus accuſator fratrum. 79
Jubilæi Talmudici adventus Meſſię. 48

Judæi

Digitized by Google

Judæi quare corruperunt Chronologiam. 46
Judæi an interpolarint Codices Græcos. 31
Judæorum ſomnia in quo pretio. 2
Judæi Dei librarii. 3
Judæorum Chronologia an corrupta. 45
Judæorum diſſenſus & pugna qua ſuper re. 39
Judæos non corrupiſſe Chronologiam ratione temporis adventus Meſſiæ. 49
Judæos non corrupiſſe textum. 7
Judæi an verbi Dei cuſtodes. 28
Judæi fideles in cuſtodiendo textu. 38
Judæos omni tempore habuiſſe Codices Hebræos. 33
Juſtini Martyris teſtimonium de corruptione textus. 42

K.

KEri & Cetih vocabula Maſoretica. 36

L.

LEmniſci quid in hexaplis. 105
Lex quid ſignificet. 47
Librariis quid tribuendum in diſcrepantia inter textum & verſionem. 111
Libri poſt Malachiam ſcripti non ſunt à Prophetis. 124
Lucianus Bibliorum recognitor. 105
Luz qualis locus. 137

M.

MAceda qualis locus. 144
Maſora quotuplex ratione temporis. 35
Maſoretarum labor in quo pretio. 12
Maſoretæ Babylonici. 36
Maſoretæ textus reſtauratores. 7
Maſoretarum ſtupenda diligentia. 34
Maſoretarum labor quam utilis. *ibid.*
Maſoretæ quo tempore floruerint. 35
Maſoretæ Dei inſtrumenta. 29
Maſoretæ Tiberienſes. 36
Maſoretarum probitas. 37
Manuſcriptum Rupefucaldianum. 105
Manuſcriptum Alexandrinum. *ibid.*
Medraſch Talmudica de nativitate Sethi. 54
Menda in textu ſalutiferæ veritati non officiunt. 7
Meſſiæ adventus quando juxta Talmudicos. 47
Meſſiæ adventus quare dilatus. 50
Metuſala vixit poſt Diluvium juxta LXX. 131
Metuſalem quamdiu vixerit. 64
Modi corrigendi textum originalem. 11
Moloch nomen idoli. 95
Monachi textuum originalium ignari. 176
Mortis æternæ comminatio facta incircumciſis. 154

N.

NÆvi in textu quomodo deprehendendi. 167
Nomina propria Hebræa à Græcis aliter prolata. 20
Nomina Dei quot apud Hebræos. 142
Nomina propria à Græcis reddita non debent eſſe cauſa litis. 129

O.

OBeli Origeniani deleti. 105
Ochoziæ regnum. 75
Octapla Origenis. 104
Onkeloſi paraphraſis quando facta. 62
Opus operantis quid. 133
Opus operatum quid. *ibid.*
Orientales & Occidentales Maſoretæ. 36

Origenis teſtimonium de corruptione textus. 43
Origenes obelo notavit Cainanem. 70
Origenis hexapla quo fine ſcripta. 22
Origenis de corruptione judicium. 29
Originalis textus ex nulla verſione corrigendus. 11
Oulamluz an fuerit locus ſic dictus. 137

P.

PAgninus ex textu Hebræo tranſlationem inſtituit. 22
Papæ prætenſa authoritas in Scripturam. 175
Papiſtarum inſtitutum in accuſando textu. 172
Papiſtæ cauti in accuſando textu Hebræo & quare. 109
Parallelia quid. 15
Parallelia quomodo inſtituenda. 167
Patriarchæ quare longævi. 52
Patrum Chronologia ex LXX. 63
Phaleg quare ſic dictus. 65
Pentateuchi Samaritani authoritas quæ. 57
Phantaſiæ vox quomodo ſumenda. 149
Philonis Judæi teſtimonium de textu incorrupto. 40
Philonis teſtimonium de conſonantia verſionis cum textu quomodo intelligendum. 111
Polyglotta Anglicana. 105
Polyglotta Pariſienſia. *ibid.*
Principia interna ad corrigendum textum, quæ. 15
Principium gentilium epitheta. 81
Procopii teſtimonium de Cainane. 69
Prophetæ an poſt Malachiam fuerint. 123
Prophetę non eliguntur ad munus. 124
Providentia Dei corruptionem textus impedivit. 39
Ptolemei & Cleopatræ mentio in libro Eſter, unde. 111
Ptolemeus Philadelphus quando regnaverit. 98
Pubertatis anni qui. 52
Puncta vocalia an θεόπνευστα. 7
Puncta duplici modo conſiderantur. 17
Puncta vocalia non debent eſſe cauſa litis. 129
Puncta à Maſoretis addita. 18
Punctatio rectè inſtituta. 15

R.

RAtio humana adjungitur Scripturæ à Socinianis. 172
Recognitio facta ad textum Hebræum. 127
Rempham idolum, quid notet. 95
Res ſcripta & ſcribendi modus differunt. 120

S.

SAcramenta quomodo conferant gratiam. 133
Sacramentorum neglectio an efficax ad mortem æternam. 135
Sacramenta V. T. ejuſdem efficaciæ cum N. 133
Sadducæi negant Angelos. 87
Samaritici characteres an aliquid momenti concilient textui. 167
Samariticus Codex in quo pretio. 8
Samaritica Scriptura differt ab Hebræa. 81
Samariticus textus non agnoſcit Cainanem. 70
Schilo quid notet. 81
Scientiæ nituntur certis principiis. 171
Scribendi modus quando authenticus. 120
Scriptura θεόπνευστος per unum hominem tradita non minoris eſt authoritatis quam ſi per plures. 116
Scriptura S. an ſufficientem tradat Chronologiam. 72

Sen-

Sententiæ tres de libris à 70 tranſlatis. 100
Sententiæ eruditorum de textu & verſione quoad authentiam. 12
Septuaginta interpretes an Prophetæ. 124
Septuaginta an Hebræam linguam habuerint vernaculam. 116
Septuaginta quo interpretandi genere uſi ſint. 111
Septuag. verſionis apographa mendoſa. 8
Septuag verſio quomodo poſſit eſſe authentica. 6
Septuaginta an ſolum Pentateuchum tranſtulerint? 100
Septuaginta Int. non fuerunt θεόπνευστοι. 8
Septuag. verſio non nimium deprimenda. 12
Seth quando natus. 52
Sex millia annorum quomodo intelligenda. 46
Sex mille anni à quo tempore inchoandi. 50
Signum verbi & Sacramenti. 134
Simſon nomen unde. 59
Socinianorum inſtitutum in accuſando textu. 172
Spicilegium Maſoræ quomodo poſſit inſtitui. 38
Symmachus quomodo ſit interpretatus. 129
Syncelli error de vita Metuſalæ. 64

T.

Talmudicorum teſtimonium de libris à LXX. tranſlatis. 114
Teſtimonia Patrum ad corrigendum textum non ſufficiunt. 13
Tetrapla Origenis quomodo facta. 104
Textum non fuiſſe corruptum à Judæis data opera. 150
Textus authenticus an perinde qua lingua extet. 174
Textum corrigendi modi qui. 166
Textus Samariticus quomodo adhibendus. 167
Textum corrigere quid notet. 165
Textus originalis an in ſolo autographo. 164
Textus correctio an ab orthodoxis ex ſola verſione inſtituta. 168
Theodotion quomodo ſit interpretatus. 129
Theodotion an ſemper ſecutus LXX. 158
Theodotion ſubſtitutus τοῖς LXX. in verſione Danielis 127
Theophilus Antiochenus omiſit Cainanem. 71
Theopneuſtia infert authentiam. 118
Theopneuſtias vocabulum quomodo ſumatur. 5
Theopneuſtia Verſionis à Voſſio adſtructa. 113
Theopneuſtias vox quomodo ſumatur. 126
Tikkun Sopherin quid ſit. 41. nulla inde corruptio. 42
Tohu apud Talmudicos quid. 50
Tranſlatio Græca quando facta & à quibus. 100
Tranſlator an poſſit dici θεόπνευστος. 5
Triginta loca corrupta à Gordono obſervata. 44

V.

Vaticinium Pſal. 22 an ſtudio corruptum. 99
Vaticinia de Chriſto incorrupta. 40
Ventus à mari qualis apud Hebræos. 139
Ventus adurens qualis. 139
Verbum Dei in qua lingua authenticum. 6
Verſio Syriaca unde ſumpta. 60
Verſio vulgata an habeatur pro divinitus inſpirata apud Papiſtas. 175

Digitized by Google

Verſio vulgata quo fine facta authentica. 175
Verſio LXX. quare in tanto pretio apud adverſarios. 174
Verſio LXX. an opus humanum. 123
Verſio an ſimpliciter textui poſſit opponi 162
Verſio ſubjicienda textui. 130
Verſiones quid in corrigendo textu conducant. 166
Verſionum antiquarum uſus. 8. 16
Verſionem LXX. à Deo inſpiratam quo ſenſu dixerint Patres. 114
Verſiones hodiernæ in quo pretio. 3
Vinum libaminis unde in deſerto. 84
Vinum an fuerit in deſerto. 83
Vitioſitas exſcriptionis non tollit authentiam. 9
Voluntas beneplaciti & ſigni. 134
Voſſius iniquè ſtatum quæſtionis proponit. 1. Ejus dicteria in orthodoxos. *ibid.*
Voſſius eludere conatur teſtimonia Patrum pro textu. 30
Voſſii error in citatione Bereſchit Rabba. 54
Voſſii candor deſideratus. 161
Voſſii judicium de corruptione textus. 24
Voſſii inſtitutum & methodus. 10
Voſſii error de tempore Maſoretico. 35
Uſus verſionis LXX. an valeat ad adſtruendam θεοπνευστίαν. 117

Z.

Zabulon nomen unde. 59

FINIS.